PLATONICORVM LIBRORVM DE LEGIBVS

EXAMEN

QVO, QVONAM IVRE PLATONI VINDICARI POSSINT, ADPAREAT.

AVCTORE

C. DILTHEY D.

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA PRIVATIM DOCENTE.

COMMENTATIO E SENTENTIA AMPLISSIMI GEORGIAE AVGVSTAE PHILOSOPHORVM ORDINIS PRETIO REGIO ORNATA.

GOTTINGAE,

IMPRESSIT CHRISTIANVS HER

TYPOGRAPH. ACADEM.

MDCCCXX.

VIRO

GENEROSISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

CAROLO ALEXANDRO
L. B. DE ARNSWALDT

AVGVSTISSIMO AC POTENTISSIMO BRITANNIARVM
HANNOVERAEQVE REGI

A CONSILIIS INTIMIS ET REI PVBLICAE MINISTRIS

ALMAE GEORGIAE AVGVSTAE CVRATORI SAPIENTISSIMO
ET MVNIFICENTISSIMO

SALVTIS PVBLICAE AVCTORI OPTIMO

BONARVM LITTERARVM ARTIVMQVE STVDIIS FAVTORI
EMINENTISSIMO

SVMMIS ORDINIS GVELPHICI INSIGNIBVS ORNATO

HANC SVAM QVALEMCVNQVE OPELLAM

INTIMAE PIETATIS ET VENERATIONIS INDICIVM

SACRAM ESSE IVSSIT

AVCTOR OBSERVANTISSIMVS

C. DILTHEY.

DE

PLATONIS INDOLE ET INGENIO.

Hominis indolem et ingenium cognoscere et penitus perspicere, res est tantae audaciae tantaeque difficultatis ut saepe de ea bene illustranda et in lucem protrahenda desperandum esse videatur. Non illa dico philosophorum tentamina et experimenta ingenii humani perscrutandi et illustrandi, quae quo propius ad causam et originem omnis vitae explicandam accedunt, eo magis tenebris et caligine impedita et circumventa esse solent; sed in vita communi plerumque aberramus a vera hominum indole et mente penitus cognoscenda et ad vivum resecanda. Enimvero praeterquam quod homines cum temporibus mutantur, tantum abest ut plerique se ipsi cognoscant, ut multo minus certam aliis sui adumbrationem tradere possint, etiamsi (quod rarissime fit) voluntas et occasio non desint. Omnes inde a pueris quendam se gerendi habitum et speciem prae se ferre adsuescunt, quem ipsi verum et genuinum animi et ingenii colorem tegere et obnubere plerumque non sentiunt; pauci ingenii sublimitate ad singularem sentiendi et cogitandi modum feruntur, quem alii vix externis lineamentis circumscribere nedum intus adumbrare valent. Quibus omnibus apud Platonem accedit longum temporis intervallum et dubia seriorum scriptorum vel asseclarum vel inimicorum fama, ita ut, si Platonis imaginem ponas, exterior tantum forma clara et definita esse possit, quae intus vero adumbrantur ex parte soluta et tanquam tempestatibus confusa, deleta et exstincta accuratiori oculorum examini passim se subtrahant.

Indoles et ingenium hominis cuiusdam apparet in eiusdem et dictis et factis, quae ubi consentanea sibi inveniuntur, probabilitatem in perscrutando veritati aequalem fere reddunt, modo illa a nobis sine ullo errore sint perspecta et ad intimam usque causam et originem examinata. Pro dictis valent etiam scripta, quae etsi paulo pulchriorem interdum auctoris imaginem nobis exhibeant, tamen propterea quod accuratius et consideratius sunt elaborata et adornata dictis etiam nonnunquam sunt anteponenda. In scriptis spectandum est et argumentum et librorum compositio et oeconomia cum singulari linguae usu, in scriptore usitato. Ex quibus omnibus inveniuntur singula indicia et vestigia interioris indolis et ingenii, quod singularem quendam sentiendi et cogitandi modum atque rationem comprehendit, quae ipsum hominem a caeteris omnibus destinguit et separat et quam alius homo qui forte eius loco de iisdem rebus scripsisset, nunquam consequi potuisset. Hanc rationem et indolem certis et definitis lineamentis delineari ante omnia opus est, ne ex falsa opinione semel percepta reliqua quoque omnia praepostere pervertamus.

Quae si ad Platonem transferimus, eius facta et scripta examinanda et inter se comparanda esse apparet. De rebus a Platone per vitam gestis tam dubia et diversa seriorum scriptorum fama superest, ut inde nil nisi potiora eius vitae momenta et argumenta extricare possis, ex quibus ad indolem et ingenium Platonis describendum parum possumus lucrari. Sola scripta igitur supersunt, ex quibus Platonis indolem et ingenium cognoscere liceat. Quaenam autem sunt genuina eiusdem scripta et ab ipso Platone profecta? Cui rei ut certum quoddam fundamentum subiiciamus, ponamus illa scripta quae platonica esse nemo unquam dubitavit, et quae a Platone esse composita pro certo nunc et explorato haberi potest, Phaedrum scilicet, Protagoram, Parmenidem, Gorgiam, Theaetetum, Cratylum, Sophistam, Politicum, Symposion, Phaedonem, Philebum, Politiam, Timaeum, Critiam; quibus etiam Lysis, Laches, Charmides, Euthyphro, Apologia, Crito, Meno, Euthydemus ipsaeque Leges adiungi possent, nisi Astii dubitationi nova et accuratius conquisita argumenta essent opponenda. Priores igitur dialogi soli adhiberi possunt, ad

Platonis indolem demonstrandam, quam qualis sit antequam videamus, Astii de hac re sententiam examinemus.

Astius enim pag. 4 — 9 dicit, platonismum esse ipsam ideam philosophiae, seu unice verum illud philosophiae elementum et principium quod supra omnem systematum philosophicorum immutationem longe elatum semper sibi constet, unde sigula systemata tanquam colorum varietates ex simplici luce coelesti originem trahant, quod igitur omnis philosophiae semina in se contineat, quo denique omnis philosophia tendere et redire debeat; Platonismum igitur non singulare esse systema nec tanquam sententiarum philosophicarum complexum aliis philosophorum sententiis et systematibus opponi posse. Quod Astius ad hanc opinionem illustrandam et probandam adiecit, haec tela est veris et falsis mirifice contexta, cuius singula fila solvere, spuria abiicere, genuina denuo in ordinem digerere oportet.

Num talis philosophiae idea qualem Astius statuit re vera existat nec ne, num deinde sola ratio humana per se istam ideam invenire et divulgare valeat, haec nunc missa faciamus. Hoc certum est, istam ideam nunc vel nondum esse inventam, vel si sit inventa, tamen certa nota (κριτηρίῳ quod vocant) carere, unde re vera esse inventam appareat. Alioquin enim nullo modo fieri potuisset, ut philosophi adhuc de principiis et elementis philosophiae semper disceptarent et in diversas partes abirent; neque prorsus intelligitur, cur non philosophi post Platonem ista idea inventa acquieverint, sed nova systemata iterum iterumque condendo ab ista idea magis magisque recesserint. Si sanus igitur sensus Astii opinionibus inest, hic solus esse potest: Platonem solum prae caeteris omnibus philosophis sublimem illam philosophiae ideam sibi attingendam et inveniendam proposuisse et inter caeteros omnes proxime ad istam ideam accessisse; qui sensus etiam inesse videtur in verbis pag. 8: "*die eine Idee, aus welcher alle Systeme geflossen sind, nach welcher alle hinstreben, in welcher sich alle verklären, diese Idee oder diese Philosophie an sich gedacht, finden wir in den Werken keines Denkers, weder der alten noch der neuen Welt so rein und frey von*

jeder Täuschung durch die Reflexion (?) oder eine zeitliche Ansicht der Dinge, als in den Schriften des Platon." Sed discrimen inter ipsam ideam et illud quod ad ideam proxime accedere putatur, immensum esse posse quis non videt?

Hoc certum est, Platonem antiquiorum philosophorum sententiis et placitis philosophicis maxima ex parte refutatis et abiectis, suae ipsius philosophiae nova principia et elementa posuisse, supra antiquiora longe elata iisque multo perfectiora. Sed num ideo ipsam philosophiae ideam, unicam igitur veritatem immutatam et immutabilem invenisse dicendus sit? Etsi *divinus* Plato solus recte dicatur, tamen non tanquam Deus veritatis aeterna exempla omnis temporis hominibus proponere et probare potuit. Nonne eodem iure nostri temporis philosophi unicam philosophiae ideam constituisse se et diculgasse gloriari possent?

Iam videre licet quatenus verum sit quod Astius pag. 8 docet, Platonis doctrinam non esse systema philosophicum, quod aliorum philosophorum systematibus opponi possit. Systema scilicet dico aequalium sententiarum et notionum copiam, in ordinem logicum digestam, ut singulae notionum et notitiarum partes secundum divisiones et distinctiones institutas se excipientes, ad certa rerum principia et elementa relatae totum quoddam scientiae caput efficiant. Tali systemate Platonis doctrinam non traditam esse, nemo dubitat; fieri tamen posse ut aliquis collectis diversarum philosophiae platonicae partium doctrinis et sententiis unum systema inde conficiat, per se certum foret, etiamsi Tennemannus philosophiae platonicae systema nunquam conscripsisset. Platonis denique sententias aliorum philosophorum placitis diversis diversa opponi non posse, — quid hoc sibi velit me non intelligere profiteor, cum omnis philosophiae historia omnesque paene omnium temporum libri philosophici contrarium reapse probare soleant.

Unum praeterea premendum esse videtur, in quo, quomodo Astius sibi constet, ipse videat. Etsi enim Platonem ipsam philosophiae ideam posuerit, omnemque pro tempore rerum positionem et declarationem longe a Platone abesse iusse-

rit, tamen altera ex parte concedit, Platonem non totum se ideis perscutandis dedisse sed etiam rebus quales in vita communi adsunt intelligendis, observandis et gerendis operam dedisse, v. c. "*es ist kein Zweifel übrig, daſs Platon nicht allein im Reiche der Ideale, sondern auch im Gebiete der Wirklichkeit einheimisch war, und mit der höheren Speculation die schärfste Beobachtung der Wirklichkeit verband;*" et iterum: "*der Philosoph* (i. e. Plato) *bestrebt sich, seine Ideen im wirklichen Leben zum Heile der Menschheit zu realisiren.*" p. 255 etc. — Vide, quemnam ille fingat Platonem, — solis ideis deditum, ab omni terrestri meditatione remotum et alienum, eundemque res terrenas observantem, intelligentem et gerentem! Quis inde certam viri imaginem sibi proponet, nisi forte Iani cuiusdam alia alio capite meditantis? Verum, quod Astius ipse concedit, cum eiusdem commentis vix unquam coniungi et componi potest.

Istas res praeterea tangere potius quam ad vivum resecare ausus sum, a proposito scilicet ut plurimum alienas. Non omnino tamen omittendas esse putavi, quia in his ipsis incunnabula et incrementa critices platonicae qualis ab Astio est inventa, detexisse videor. Si Plato ipsa est philosophiae idea, omnia quoque eiusdem scripta et opera hanc ideam referre, evolvere, explicare, commentari necesse est; quod ubi minus factum esse videmus, ubi res terrenae explicantur, digeruntur et ordinantur, ubi res in vita nostra parum ideali obviae constituendae, gerendae et tractandae adsunt, ibi Plato longe abesse iubetur, ne haec philosophiae idea temporali meditatione contaminata, nec impura et spurca evadat. Ita Plato, omni fere natura et indole humana privatus, idea fit, ad res humanas gerendas, ad civitates constituendas, ad leges ferendas, ad quaelibet ab ista idea remotiora tractanda neutiquam aptus, idea quae quomodo Dionysiis, Dioni aliisque rerum politicarum moderatoribus innotescere et usui esse, imo maximis honoribus affici potuerit, non intelligitur. Ita Plato, ineptis vituperatorum et detrectatorum criminationibus olim foedatus, nunc laudibus temere et ultra humanam naturam celebratus, idea fit a rebus in vita communi gerendis, a negotiis non idealibus tractandis plane alienus, a quo nulla verae vitae praesidia et ornamenta

parari, nullae rerum in vita gerendarum regulae proponi et doceri possint, ita ut ipse Plato altera sui parte privatus, appareat *ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς στήλαις κατὰ γραφὴν ἐκτετυπωμένοι, διαπεπρισμένοι κατὰ τὰς ῥῖνας, γεγονότες ὥσπερ λίσπαι* (Plat. Symp. c. 19.). — Ad hanc Platonis imaginem si eius opera exigere et examinare volueris, non tantum cum Astio plures dialogos ab eo abjudicare necesse est, sed etiam in reliquis multa enotare, quae quomodo ad ideam philosophiae pertineant, non intelligitur, v. c. quae in Phaedone de Socratis morte ut de facto historico non de idea philosophica narrantur, quae ad artem mimicam in Platone pertinent et alia permulta.

Quae cum ita sint, nova ingenii et indolis Platonis adumbratio requiritur, ad quam normam et regulam singula omnia referre et cum illa comparare, iudicia nostra componere et ostracismo isto, qui pro lubitu aut ex praeiudicatis opinionibus in exsilium mittit, liberi esse possimus. Sed alienis erroribus cautionis adhibendae commonefactus, ne novis erroribus circumventus spessiorem rei caliginem offundere videar, hac sola via utar, qua ut ad falsos errores inducamur fieri non potest. Enimvero ipsum Platonem audiamus in symposio (de quo seu Schleyermacheri seu Astii sententias sequaris nihil nunc refert), in quo recta philosophandi via et ingenua veri philosophi vita est perscripta, quam ipsum Platonem quoque secutum esse et sua ipsius vita reapse exhibuisse non est cur dubitemus, ut ex hac tandem sentiendi et cogitandi ratione sincerum et genuinum Platonis ingenium et indoles cognosci possit.

Secundum ista praecepta verus philosophus boni et pulchri amore est insignitus, eiusque immortalitatem sibi exoptat quam tamen assequi non licet, nisi gignendo et procreando talia quae auctoris nomen et originis gloriam semper prae se ferant, ut ita in rebus mortalibus immortalitatis sibi ipse auctor existat. Vulgaris huius immortalitatis adipiscendae ratio per liberorum generatiorum et procreationem fieri solet, unde scilicet generis humani immortalitas quaedam existit, cuius participes sunt singuli homines, ut quod vetustate forte contabescat et moriatur, per novum quoddam eiusdem generis compensari possit, et hominum genus in singulis mortale tamen immor-

tale reddatur. Alii vero homines iique nobiliores (veri igitur philosophi cum ipso Platone) quoad animum sunt gravidi, et animi bona, veritatem, scientiam, sapientiam generare, propagare et immortalia reddere cupiunt, et talem animi partum edentes, sublimibus et nobilibus meditationibus, *legibus optimis et generi humano utilissimis*, institutis publicis et privatis sapienter confectis, nominis et gloriae immortalitatem sibi vindicare student. Huic immortalitatis studio omnia huius vitae commoda ipsamque vitam impendunt. Tales liberos post mortem in nominis memoriam relinquere multo magis cuivis erit exoptatum quam germana progenies. Ita Homeri et Hesiodi opera immortalem apud posteros gloriam illis conciliarunt, Lycurgi leges non tantum Spartam sed omnem Graeciam servarunt. Deinde amandum est pulchrum quod inest negotiis tractandis, praesertim magnorum virorum *legibus publicis* et institutis. Ita pervenitur ad scientiae venustatem, ne quis uni tantum pulchro adhaereat, sed tanquam in mare pulchritudinis immersus sublimiorem philosophiae doctrinam percipiat. Qui huiusque penetravit, iam initiatus est platonici amoris mysteriis, videt enim et adspicit ipsam pulchri ideam, immutabilem et aeternam nec natam nec perituram, nunquam diminutam vel auctam; cuius singulae res pulchrae sunt participes, unde non nisi vera virtus ubique existere potest. Plat. Symp.

Hoc si quid aliud Platonis de vita humana eiusque institutis civilibus et politicis iuvandis sententias easque a boni et pulchri ideis pendentes exhibet. Ad ipsam ideam capessendam non nisi gradatim acceditur, negotiorum (ἐπιτηδευματῶν quae dicit) in vita et rebus terrenis studio et amore nunquam omisso. Qui vero ad ipsam ideam perspiciendam feliciter pervenit, is ne obscuris et inutilibus meditationibus volvendis hominum generi et civitati sit inutilis, sed potius ideam istam puram et claram inter homines propagare, omnes res in vita communi obvias ideae istius aeternae quodammodo participes et quatenus fieri potest, similes reddere, omnibus institutis et factis humanis illius ideae notam imprimere et ad ideae formam redigere, itaque res nostras quae nunquam ideales omnino esse possunt, tamen quatenus licet ad idealem perfectionem promovere, ita immortalitatem in mortalitate exhibere —

hoc fuit dignum platonico philosopho ipsoque igitur Platone consilium et propositum; hoc fuit praeclarum Socratis platonici exemplum, qui philosophiam a coelo in terram, in domos, in vitam communem revocasse, qui rem publicam domi atque militiae docendo et agendo omnibus modis iuvare et emendare voluisse narratur. *)

---

*) Plura quae huc pertinent, bene exposuit Morgenstern: "rerum humanarum et civilium usu Platonem haud caruisse;" in eiusdem de Platonis republica commentatione, pag. 282.

DE LEGVM PLATONICARVM CONSILIO ATQVE INDOLE.

Conspectu ingenii platonici manco quidem et abrupto sed certo et vero exhibito, num Leges istae hac Platonis indole sint conditae an potius a platonismo abhorreant, diiudicandum est. In praeceptis modo expositis verus philosophus legibus et institutis civilibus operam enixe dare saepius iubetur, v. c. *πολὺ μεγίστη καὶ καλλίστη τῆς φρονήσεως ἡ περὶ τὰς τῶν πόλεών τε καὶ οἰκήσεων διακοσμήσεις, ᾗ δὴ ὄνομα ἔστι σωφροσύνη τε καὶ δικαιοσύνη* cap. 33. — *Λυκοῦργος παῖδας κατελείπετο ἐν Λακεδαίμονι σωτῆρας τῆς Λακεδαίμονος, καί, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τῆς Ἑλλάδος· τίμιος δὲ παῤ ὑμῖν καὶ Σόλων διὰ τὴν τῶν νόμων γέννησιν καὶ ἄλλοι ἄλλοθι πολλαχοῦ ἄνδρες καὶ ἐν Ἕλλησι καὶ ἐν βαρβάροις* etc. — Per se igitur nulla causa adesse potest, cur leges ad rempublicam emendandam et exemplum suis temporibus proponendum a natura et indole ullius philosophi nedum Platonis abhorre ponamus. Leges vero ideo plerumque conscribuntur, ut non philosophiae ideam nobis integram referant, sed ut res humanae ad boni et pulchri ideas quam proxime promoveantur, cum ipsas ideas consequi et in vitam communem transferre pro humanarum rerum imbecillitate vix liceat. Sic Lycurgus et Solon sensu vere platonico in legibus suis condendis versati sunt, non ut meram philosophiae ideam exhiberent, sed ut generi humano et suae praesertim civitati prodessent.

Antequam ad accuratius rerum ab Astio obiectarum examen perveniamus, Platonis Politiam cum Legibus comparare et relationem quae inter utramque intercedit explicare necesse est.

Rei publicae constitutio et ipsa legumlatio duplici modo describi potest. Eimvero vel *idealis* describitur, i. e. ipsas virtutis, iustitiae et pulchritudinis ideas exhibens, seu optima illa quae fingi quidem et cogitari, sed nunquam re vera inter homines institui potest, vel — (ut ita dicam) *realis*, qualis in rebus humanis sane conspicitur. Quae quidem duplici modo iterum institui potest, ut vel in nova republica condenda ad idealem rerum statum quam proxime accedat, vel in antiqua civitate emendanda pro tempore et loco optimum suadeat. Triplex inde existit rerum publicarum constitutio, idealis, media et quae hanc excipit temporaria. Quam tripartitam rei publicae formam exhibent Politia, Leges et liber quem Legum auctor certe aliquando conscribere sibi proposuerat. *) Politiam ad idealem rei publicae statum pertinere, etiamsi Plato ipse non docuisset Pol. V, 17. pag. 472 al. nemo dubitat; vid. Morgenstern pag. 179—195. Boeckh in Plat. Min. pag. 65 sq.— Leges deinde mediam quam diximus civitatem referre,**) multis modis cognoscitur. Primum enim auctor ipse illud indicavit, v. c. *ἣν νῦν ἡμεῖς ἐπικεχειρήκαμεν, εἴη τε ἂν γενομένη πως ἀθανασίας ἐγγύτατα καὶ ἡ μὲν δευτέρως* etc. Leg. V, 10 p. 739. — *τὰ δὲ μετ' ἐκεῖν' αὖ δευτέρα τἀνῦν λεγόμενα εἰ γίγνοιτο ἡμῖν, γίγνοιτ' ἂν καὶ μαλὰ μετρίως.*

---

*) Hoc ipse Astius concedit, qui pag. 384 dicit: *die Gesetze sind der Politia so entgegengesetzt, wie das faktische dem idealischen; denn in der Politia wird die Idee des Staates aufgestellt, unbekümmert ob sie in der Wirklichkeit ausführbar ist oder nicht; und zwar werden die allgemeinen Umrisse des politischen Lebens gezeichnet; in den Gesetzen dagegen geht der Verfasser in das Einzelnste ein, so als habe er die Absicht gehabt, die Politia zu ergänzen, und das ihr fehlende, die Gesetzgebung nämlich hinzuzufügen!* (p. 392) *Dabey hatte er die Absicht, um die ganze Politik zu erschöpfen, auch den dritten Staat, den wirklichen oder gewöhnlichen zu beschreiben, in welchem Alles durch Gesetze genau bestimmt und geregelt ist.*

**) Idem iam quodammodo sensit Morgenstern pag. 284 Not. 253, ita tamen ut in ipso libro illud rerum publicarum discrimen plerumque negligeret, unde singuli eiusdem errores passim orti sunt. Accuratius rem significavit Boeckh pag. 66 sq. Aristotelem (pol. II, 3, 2 ed. Schn.) recte secutus: "*βουλόμενος κοινότεραν ποίειν ταῖς πόλεσι.*"

Leg. VII, 13 p. 807. Deinde ipsum Legum argumentum hanc sententiam confirmat. Politiae enim quae vocant paradoxa de bonorum, uxorum et liberorum communione, de negotiorum et munerum inter viros et mulieres aequalitate de imperatoribus nulla lege constringendis etc. in Legibus plane sunt omissa. Quae porro in Politia breviter sunt significata, ea quatenus rerum publicarum usui inservire possunt, accuratius in Legibus descripta et verae vitae magis accommodata invenimus, v. c. rem iudicialem, in Politia plane omissam, deinde publicam educationem per artem musicam et gymnasticam etc. Deinde civitas in politia composita non nisi ad iustitiam explicandam adesse videtur, ea vera, quam in Legibus adumbratam invenimus, de industria et consilio est exhibita, certo quodam loco et tempore condenda, qualis quidem nondum existit, sed ut ita existeret est perscripta, in qua praeterea inveterata et antiquitus tradita vitia et incommoda nondum adsunt, et ubi in novis rebus melius constituendis, in terrae portionibus distribuendis, in aere alieno levando nemo clamat *τὰ ἀκίνητα μὴ κινεῖν*. Leg. V, 8 pag. 736.

Tertia denique civitas legibus arctissime circumscripta, in qua pro tempore et loco tantum quod probabile est iubetur, Legum auctoris menti obversata est, eamque similiter tradere promisit Leg. V, 10 p. 739, qui locus ad triplicem istam rei publicae constitutionem intelligendam prae caeteris tenendus esse videtur. Ad quam respiciens, puto, auctor dixit: *νομοθέται γὰρ γιγνόμεθα, ἀλλ' οὐκ ἐσμέν πω, τάχα δε ἴσως γενοίμεθα.* (in tertia scilicet civitate ordinanda). Leg. IX, 5 pag. 859. Triplex illud civitatis genus si contemplamur cum arctissima illa inter Politiam et Leges coniunctione ipsoque auctoris tertiae civitatis describendae consilio, magna sane rerum publicarum notio, excelsum illarum describendarum consilium nobis apparet, hoc scilicet, quo rerum politicarum incunnabilis et incrementis ab ipsis rebus divinis et aeternis istis virtutis et pulchritudinis ideis repetitis, homines rerum divinarum quodammodo participes et compotes fiant et ad naturam divinam propius accedant, nec infima adeo rerum humanarum conditio omni emendatione et iustitiae conformatione careat. Ingens et prae-

clarum sane consilium, omnibus numeris absolutum ingenio quovis excelso, ipso Platone dignissimum, ab obscuro Philippi Opuntii aut rigido Xenocratis ingenio mirum quantum abhorrens. Nescio sane an hoc consilium ante Platonem nondum mente conceptum et cogitatum ad praeclara naturae humanae ornamenta, ad insignia ingenii humani testimonia pertineat.

Duo praeterea hoc loco sunt notanda, unde ars critica, istis libris applicanda maxime pendet. Ubi enim singulae res occurrunt, quae parum sibi constantes imo contrariae et oppositae vix ad unius viri sententias pertinere videntur, primum non negligendum est, quod prae caeteris praeclare monuit Schleyermacher in praef. ad Plat. pag. 38, nemini scriptorum praecidendam esse immutandi, corrigendi et emendandi copiam, in qua re tamen accuratius ponderanda vix certas regulas in universum proponere licet; sed quid immutari quid non potuerit a scriptorum indole, argumento, tempore, loco aliisque casibus pendere videtur. Quod in rebus politicis praesertim recensendis negligi non debet. Enimvero rerum politicarum scientia ex rerum gestarum adspectu et historiae publicae studio sensim sensimque processit; ubi igitur rerum gestarum experientia et historiae recentioris studium provehitur, rei politicae scientia quoque augeatur et emendetur necesse est, quare usque ad nostra tempora nulla fere praeter illam scientia (etsi universa eius principia et elementa philosophica dudum sint inventa et stabilita), in singulis rebus ordinandis tot tantisque pro tempore litibus, dissensionibus et immutationibus ansam praebeat.

Deinde, quod magis etiam in Platonem cadit, ubi argumenta quae quodammodo sibi contradicunt et repugnant, inveniuntur, tantum abest ut haec a Platonis ingenio prorsus abhorreant, ut potius ipsa contradictionis causa a diverso philosophi consilio et dicendi genere plerumque sit repetenda. Hoc errore in nostra re Astius mirum quantum culpandus est, qui, etsi diversum Politiae et Legum consilium intellexisset, tamen ex singulis sententiis discrepantibus Leges *νοθείας* convincere vellet. Quod criticae artis exercendae genus, in alio quovis scriptore cautissime admittendum, quis ferret in scriptore politico eoque diversa plane consilia sequente, quae diversa etiam

rei publicae instituta, diversam scribendi et praecipiendi rationem necessario requirunt!

I.

Argumenta interna.

Argumenta ut semper in rebus criticis de Legum opere vel genuino vel subdititio sunt et interna et externa. In libris defendendis argumenta nunquam tam insignis tamque apertae veritatis esse possunt, quam in scriptis falsis damnandis. Quare antiqui libri facilius damnari quam defendi solent. In mea commentatione eodem fere modo argumenta interna nihil unquam logica quam dicunt ratione probare posse, sentio. Nihilominus tamen in argumentis internis inest negativa quaedam probandi vis eaque quae in talibus esse potest, maxima. Quo magis enim omnia vere platonica esse apparet, tanto plus contrariae opinionis probabilitati detrahitur et simul quae in singulis obiici posse videntur, ea omnia removere licebit. Quare interna primum argumenta sunt pervestiganda, et quae ab Astio obiecta sunt refellenda. Interna autem veritatis signa duplicis generis sunt, vel ex argumento libri vel ex eiusdem forma, lingua et sententiarum conformatione petita. Quae a rerum tractatarum argumento repetuntur, ea sunt in nostro libro tripartita; argumentum enim vel in principiis et institutis politicis et in legibus ferendis versatur, vel ad alias philosophiae disciplinas, in Platone cum rebus politicis arctissime coniunctas, pertinet, vel denique in rebus casu quodam oblatis, aut ex ipsa auctoris vita et tempore intelligendis conspicitur.

I.

DE RERVM IN OPERE TRADITARVM RATIONE.

A.

DE REBVS POLITICIS.

In librorum de Legibus argumento politico pervestigando ad consilium huius opellae exsequendum, difficultatem quandam mihi quodammodo esse oblatam sentio. Ubi enim argumentum plenum et integrum accurate recensetur, imago ponitur civitatis platonicae, qualem in Legibus descriptam invenimus, et cuius non nisi externa quaedam lineamenta hactenus sunt proposita a Morgenstern et de Geer in libris de hac re conscriptis. Adumbrationem internam vero addere et in singulis quibusvis legibus explicandis versari et ita longum novumque studiorum genus in lucem protrahere, meae opellae consilium et rationem longe superare videtur. Contra vero nil nisi hoc agere ut quae hactenus contra Legum argumentum monita sint, refellantur, novamque obiiciendi et denuo impugnandi copiam forte relinquere, — a proposito rei consilio prorsus abhorrere certum est. Quocunque igitur me convertam, ne ad scopulos allidar timendum est. Hoc medium tantum mihi relictum esse videtur, ut argumenti in ordinem quendam digesti ea tantum momenta enarrem, quae vel ita Platonica ut alienum auctorem respuant, esse videntur, vel quae contra Platonismum et Platonis sententias alio loco expressas pugnare dicuntur. Primum ideo de principiis et fundamentis legislationis Platonicae, deinde de singulis rei publicae institutis quae necessaria esse videntur, disputabo.

I.
DE LEGVM PRINCIPIIS ET FVNDAMENTIS.

Tria prae caeteris hoc loco se offerre videntur, quorum diiudicatio requiritur; primum cur leges sint necessariae, deinde ad quemnam finem perducant, denique quaenam sit illarum ferendarum ratio.

Hominum vita et indoles imo totius natura compositio secundum Platonem ita est comparata et perfecta, ut certis legibus et conditionibus quibus adstringatur, carere non possit, et *νόμους ἀνθρώποις ἀναγκαῖον τίθεσθαι καὶ ζῆν κατὰ νόμους, ἢ μηδὲν διαφέρειν τῶν πάντῃ ἀγριωτάτων θηρίων.* Leg. IX, 13 p. 875. Quod vero lib. X, 4 p. 889. dicitur, *τὴν νομοθεσίαν πᾶσαν οὐ φύσει, τέχνῃ δέ, ἧς οὐκ ἀληθεῖς εἶναι τὰς θέσεις* etc., hoc ab ipsius auctoris sensu abhorrere sententiarum l. l. nexus facile docet. In Protagora quidem leges contra naturam ferri, in Phaedro leges conscribere inutile scribendi genus passim dicitur, quod tamen ad sophistarum legislationem pertinere nemo non videt.

Leges deinde non ad singulorum felicitatem sed ad virtutem perfectam cum felicitate per se coniunctam in civitate instaurandam spectant, quem finem unice platonicum esse nemo dubitat; vid. Pol. IV, 1 p. 420. VII, 4 p. 519. E. Leg. I, 6 p. 631. A. III, 8 p. 688. A. sq. III, 11, p. 693. C. IV, 1 p. 705—2. p. 707. 7, p. 715. B. V, 12 p. 742. C—E. VI, 15. p. 770. C — 771. A. VIII, 1 p. 829. A. etc. Virtus in eo conspicitur, *ὅπως πάντα ξυνδήσας ὁ νοῦς, ἑπόμενα σωφροσύνῃ καὶ δικαιοσύνῃ ἀποφήνῃ ἀλλὰ μὴ πλούτῳ μηδὲ φιλοτιμίᾳ,* quae sententia optime convenit cum civitatis ad animi humani rationem, structura in Politia instituta. Virtus moralis apud veteres quatuor partibus constat, iustitia, prudentia, temperantia et fortitudine, quarum exemplum Plato quoque proposuit Pol. IV, 6 p. 427. E. sq. Leg. I, 5 p. 630. 6 p. 631. al. Gravissima prae caeteris inter illas est iustitia, quae omnes virtutes sociales et officia quae vocant erga alios in societate humana comprehendit. Perfectam igitur illius imaginem non

nisi in societate humana ad illius regulas constructa et disposita conspexeris, et haec est civitas illa platonica, quam in Politia descriptam invenimus. In civitate vero secundo loco posita quae ad verum rerum statum propius accedit, aliae virtutes iustitiae plerumque anteponuntur, ut fortitudo bellica in Cretensium et Lacedaemoniorum re publica. Qui talem igitur civitatem instituit, ei prae caeteris cavendum est, ne singula quaedam virtutis particula sola colatur; id potius agendum ut tota virtus suis numeris quam maxime absoluta rebus gerendis et ordinandis praesit. Quod quidem fecit etiam operis nostri auctor, qui in prioribus libris III id fere agit, ut non fortitudo aut alia quaepiam virtutis pars sed ipsa virtus integra et absoluta finis totius legislationis ponatur, utque singulae deinceps virtutis partes secundarium locum rite obtineant, quam rem iam acute significavit Boeckh p. 69.

Iam quid in Legum fine ita proposito a Platonis ingenio abhorreat, nemo videt; et si Legum libri ideo maxime sunt culpandi, quod singula instituta politica ad ideas philosophicas non referantur, nescio sane quaenam idea sublimior et platonica civitate dignior existat, unde singula omnia deducantur, quam nobilissima ipsius virtutis idea, cum felicitate secundum Platonem semper coniunctae. cf. Pol. III, 5 p. 392. Leg. I, 6 p. 630—631. D. II, 2 p. 705. Huc accedit quod virtutis adumbratio in Legibus instituta cum iis est coniungenda, quae in Politia disputata invenimus, ut perfecta virtutis descriptio inde nobis existat. In Politia enim iustitia describitur, in Legum libri I. parte priore fortitudo, quae ad milites praesertim spectat, inde usque ad finem lib. II. temperantia, quae reliquis virtutis partibus certum modum addit, in lib. III. denique prudentia quae maxime est senatorum.

Huius virtutis imaginem ab ipso Platone ex parte tantum et fragmenti instar proficisci et proponi potuisse, ut obscurus quidam Philippus aut Xenocrates ad Platonem complendum et emendandum requireretur, quis unquam probabili modo persuadebit? Quid quod, cum utrumque opus arctissime inter se sit coniungendum, singula verba etiam in Politia obvia consilium Legum scribendarum quodammodo significare videntur?

Vix enim a vero aberrasse videor, si verba Pol. IV, 8. p. 430. αὖθις δὲ περὶ τῆς ἀνδρίας ἔτι κάλλιον δίιμεν ad Legum scribendarum consilium, quod iam Platoni quodammodo obversaretur, referenda esse putaverim.

Ratio denique legum ferendarum, an Platonis ingenio apta sit (quod Ast. p. 385 plane negavit) restat ut videamus.

Ubi virtus unicus legum ferendarum finis perhibetur, tota quoque earundem ratio moralis sit necesse est. Quod sane ita invenimus in libris nostris de Legibus, ubi res ethicae et politicae adeo inter se sunt coniunctae ut nunquam separatae aut seiunctae appareant, imo ut interdum dubitare possis, ethicum an politicum librum auctor exhibere voluerit *). Ipse auctor manifesto profitetur, non nisi eum ad res publicas agendas accedere posse, qui rerum ethicarum sit peritissimus, et legislatorem simul esse rerum moralium doctorem. Unum ex multis locis apponere liceat: Τούτων δὴ πέρι τοὺς ἐξηγητάς τοὺς διδασκάλους, τοὺς νομοθέτας, τῶν ἄλλων τοὺς φύλακας τῷ δεομένῳ γνῶναί τε καὶ εἰδέναι ἢ τῷ δεομένῳ κολάζεσθαί τε καὶ ἐπιπλῆξαι ἁμαρτάνοντι, πότερον οὐ δεῖ διδάσκοντα, ἣν δύναμιν ἔχει κακία τε καὶ ἀρετή, καὶ πάντως δηλοῦντα διαφέρειν τῶν ἄλλων; — εἶτα ἐν τῇ τοιαύτῃ πόλει, ὅπου μὴ λόγῳ ἔργῳ τε ἱκανοὶ φύλακες ἱκανῶς, θαυμαστόν τι ταύτην τὴν πόλιν, ἀφύλακτον οὖσαν, πάσχειν ἃ πολλοὶ πάσχουσι τῶν νῦν πόλεων; etc.

Quae cum ita sint, praecepta politica etiam ut in rebus ethicis fieri solet, institutione publica explicare et docere, observanda probabilia reddere et commendare magis, quam pro arbitrio definire et praescribere aut iubendo tantum sancire necesse est. Ita leges ad publicam institutionem et doctrinam potius quam ad rerum externarum pro lubitu constituendarum arbitrium referri debent. — Iam vero gravissimo huius institutionis publicae omissae vitio nostros de Legibus libros culpandos esse Astio visum est, neque ipse, si verum esset illud vitium, ullam rationem viderem, qua cum Platonis ingenio conciliari possent. Sed omnia sane, quae Astius pag. 385 de

*) cf. Plat. Leg. IV. V, 1—6 p. 715. Morgenstern de civitatis perfectae momento primario p. 169. — de Geer: "moralis doctrinae principiis Plato politicam suam superstruxit" p. 125.

hac re disputavit, ita sunt comparata, ut non refellenda esse videantur, sed ut sola operis platonici lectio ad meliora sentienda ad veriora invenienda sufficere possit. Mihi certe persuasum est tot tantaque argumenta ipsius operis contrarium probare ut eorum delectum habere sit difficile. Potiora tamen afferam.

Totius legislationis finis, virtus scilicet, hoc probat, Leges non ad iubendi arbitrium, sed ad vitae politicae causam et originem, ad institutionem publicam scilicet iuvandam, ad morum probitatem constituendam esse referendas. Quis enim unquám virtutem ita docuerit, ut merum iubendi arbitrium ad singulos vitae humanae casus ad res externas et casu oblatas applicaret? Nescio sane quo tandem nomine auctor Legum esset commendandus, siquidem virtute proposita non nisi hoc egisset, ut singula omnia in civitate obvia pro lubitu et arbitrio ordinaret. Imo auctoris de hac re mens et consilium duabus praesertim rebus melius perspicitur, primum scilicet in eo, quod iuventutis educationem unicam vitae civilis causam et originem posuit, deinde in eo quod singulae leges quatenus in vera civitate fieri potest, ad persuadendum magis et erudiendum quam ad iubendum et imperandum compositae sunt.

Primum iuventutis institutio adeo gravis visa est auctori Legum, ut disquisitione de virtute (lib. I — III) et de ratione Legum ferendarum (IV — V, 6) absoluta, post universam civitatis constitutionem et formam (V, 6 — VI fin.) descriptam ad puerorum et puellarum educationem statim transiret (VII). In qua re docenda quanta cura et diligentia, quanta industria et assiduitate versatus sit, nemo, libro septimo omnium longissimo perlecto, non intelligere poterit. Non solum enim ab utero ut ita dicam infantes excipit, sed etiam rite recteque gignendos et procreandos religiose curat legibus de matrimonio accurate propositis (VI, 16 — 18. 21 — 23 al.). Ita liberorum educatio et institutio, quae ad corpus et animum simul spectat, ab ipsa matris graviditate repetitur. Infantium deinde corpus moveri et agitari, animum a vehementioribus cupiditatibus et doloribus coërceri iubetur. Ludi pueriles coram nutricibus instituuntur; mox liberi diversi sexus separati arti gymnasticae armorumque tractationi adsuescunt, ne illud quidem omissum est,

quidnam incommodi ex laeva manu neglecta oriatur. Ars gymnastica et musica, imo etiam ludi, quomodo in educatione sint admittendi, accurate perscribitur, ut omni modo legislatoris in hac re consilium iuvari possit. Cantus utrique sexui tribuitur; disciplina militaris pueris cum puellis communicatur. Pueris deinde triennium litterarum et alterum lyrae tractandae proponitur. Saltationis genera enumerantur. Scientiae arithmeticae, geometricae et astronomicae elementa a quovis cive requiruntur. Venationis denique genera quaenam civibus apta quae non sint docetur. In omnibus vero educationis partibus describendis tam accuratum et peritum habes scriptorem ut modo gymnasticae, saltatoriae artis magistrum, palaestrae praesidem imo venatorem, piscatorem, militem, modo musices, lyrae cantusque peritum, modo litterarum et virtutis doctorem recte audire videaris. — Qui quomodo educationem neglexisse aut non satis respexisse dici possit, neutiquam intelligo; mihi quidem ex solis argumentis lib. VII. enumeratis hoc certum esse videtur, auctorem quae ad publicam eruditionem et educationem spectant, pro summis in civitate habere, unde reliqua omnia bona et egregia nasci debeant. Omnia enim quae in Pol. lib. III. breviter sunt significata et animadversa, ea fusius et accuratius in Leg. VII. exponuntur et vero civitatum usui accommodantur. Praeterea si quo alio argumento ad hanc rem confirmandam opus est, ipsam auctoris sententiam audiamus, qui, ut sexcenta de hac re loca omittam, dicit v. c. *τὰ μέγιστα* esse in civitate *τὰ περὶ γάμους ἅμα καὶ γενέσεις παίδων καὶ τροφάς ἔτι δε καὶ παιδείας* etc. Leg. VIII, 9 p. 842 etc.

Superest ut ipsarum legum latarum rationem examinemus, quam Platoni non aptam esse suspicio mota est. Astius enim p. 385. multa de hac re disseruit, in quibus vera et falsa miro modo sunt permixta. — Ratio legum ferendarum, ut supra iam monui, ita comparata esse debet, ut suadere et erudire magis quam iubere et coercere videantur, ut cives non externa vi coacti sed ad internam iussorum probitatem adamandam bene praeparati leges sua sponte servare et sequi possint. Talem legum ferendarum rationem, quae sola optimum quemvis legislatorem decet, in nostro quoque de Legibus opere, licet Astio aliter visum sit, invenimus. Ab omni enim iubendi

et imperandi arbitrio auctor harum Legum fuit quam remotissimus. Quod si totius operis compositio et ratio interna nondum satis docuerit, duobus certe quae insunt, placitis egregie probatur.

Primum enim ipse auctor profitetur, solas rerum externarum leges non sufficere ad rem publicam constituendam, sed internum praesertim civium sensum moribus bene fictis et formatis esse excolendum. Huc pertinere dicuntur quae maiorum usu et consuetudine per omnia tempora sunt sancita et legum instar ad vitam hominum formandam et dirigendam constituta *τὰ ἄγραφα νόμιμα* scilicet, *καὶ οὓς πατρίους νόμους ἐπονομάζουσιν*, quae etsi non scripta sint, tamen pro summis rei publicae adminiculis sunt habenda, quae sola scriptas leges incolumes servant, et quibus neglectis omnis civitas tanquam domus fundamentis privata corruit. Qui vero haec *πάτρια καὶ παντάπασιν ἀρχαῖα νόμιμα* commendat et pro rei publicae fundamentis habet, quomodo externas tantum res pro lubitu constituere dici possit, nemo fere intelligit. Egregius sane est de hac re locus Leg. VII, 4. p. 793; qui solus omnes huiusmodi criminationes diluere valet: *δεῖ τὴν πόλιν πάντῃ ξυνδεῖν μήτε μέγα μήτε σμικρὸν παραλιπόντας εἰς δύναμιν, ὅσα νόμους ἢ ἔθη τις ἢ ἐπιτηδεύματα καλεῖ· πᾶσι γὰρ τοῖς τοιούτοις πόλις ξυνδεῖται ἄνευ δὲ ἀλλήλων ἑκάτερα τούτων οὐκ ἔστι μόνιμα* etc.; ut cum Tacito rectē dicas (Germ. c. 19), plus ibi bonos mores valere, quam alibi bonas leges.

Tali sensu imbutus tantum abest ut auctor solas leges rerum externarum proponere sibi sumserit, ut potius ipsum populum docendo, erudiendo et instituendo ad veram vitae degendae rationem revocare voluerit. Quod deinde praesertim intelligitur ex ipsarum legum specie et schemate, quod auctor Legum proposuit ad omnem meri arbitrii suspicionem penitus tollendam. Non simpliciter enim leges vult iubere et vetare quidnam sit faciendum quibusque rebus sit abstinendum, sed simul etiam causas et argumenta esse addenda quibus leges probabiles reddi civiumque menti insinuari possint. Ita legislatori medici quasi ingenui vices sunt suscipiendae, qui non temere varia ad morbum expellendum medicamentorum experimenta instituit, sed qui simul omnem in aegroto vitae et corporis statum respiciens, causam et originem morbi sciscitatur,

qui non tantum medendo, sed etiam fiducia instillanda et animo reficiendo plurimum valet. Haec est illa legislatoris *νουθέτησις* in libris de Legibus non semel commendata, de qua egregia illa disputatio (Leg. IV, 10 p. 720 — 12 p. 724.) utique est inspicienda; ubi haec *νουθέτησις* non tantum ab optimo quovis legislatore requiritur, sed etiam singula eiusdem species et exempla in legibus de matrimonio ferendis proponuntur. Indignabundus prorsus auctor adiecit: *πρὸς τοῦτο δὲ οὐδεὶς ἔοικε διανοηθῆναι πώποτε τῶν νομοθετῶν· ὡς ἐξὸν δυοῖν χρῆσθαι πρὸς τὰς νομοθεσίας πειθοῖ καὶ βίᾳ, καθ' ὅσον οἷόν τε, ἐπὶ τὸν ἄπειρον παιδείας ὄχλον, τῷ ἑτέρῳ χρῶνται μόνον· οὐ γὰρ πειθοῖ κεραννύντες τὴν μάχην* (ita enim recte legitur) *νομοθετοῦσιν ἀλλ' ἀκράτῳ μόνον τῇ βίᾳ.* Leg. IV, 12 p. 722, unde hoc deinde colligitur: *πρὸ πάντων δεῖ τῶν νόμων χρεὼν ἐστι μὴ ἀμοίρους αὐτοὺς προοιμίων ποιεῖν* cf. Leg. IX. 4 p. 859 al., quae ratio nostris quoque temporibus nunquam non commendanda esse videtur *).

Qui vero virtutem unicum civitatis et legum finem proposuit, qui institutione et educatione ad virtutem accedendum esse declaravit, qui leges ipsas ad persuadendum et probandum magis quam ad iubendum et puniendum adesse voluit, nullo modo is esse potest, in quem cadat *eine äufsere Gesetzgebung, die nicht aus dem ethischen Wesen des Menschen unmittelbar abgeleitet ist, sondern nach der subjectiven Ansicht des Gesetzgebers die äufseren Verhältnisse des Lebens bestimmt* etc. *der falsche Gesetzgeber wird seinem Volke Gesetze über die äufseren Lebensverhältnisse geben, die, weil sie nicht im Nationalgeist ihren Ursprung haben, eben deshalb keinen Bestand und für das Volk keinen Gehalt haben können."* Quae omnia quam aliena sint a Legum libris et quam discrepantia ab ipsius auctoris mente, nunc per se intelligitur. Longe alio modo ille profecto putavit fore ut quivis harum Legum lector et perscrutator secum cogitet: *ὅστις περὶ νόμων οὕτω διεξέρχεται καθάπερ ἡμεῖς τανῦν, παιδεύει τοὺς πολίτας, ἀλλ' οὐ νομοθετεῖ.* Leg. IX, 4 p. 857.

*) Verum in hac re Platonis morem licet iniquissime reprehendat, vidit tamen Seneca epist. 94. Melius illum commendavit Cic. de leg. II, 6.

Qui omnes igitur Astii scrupuli tam ex universo totius libri tenore quam ex singulorum locorum et legum adumbratione egregie refelluntur. Quid quod praepostera illa civitatis notio et legum ferendarum ratio, quam Astius Legibus nostris intrudere conatus est, non tantum a Platone sed etiam ab omnium Socraticorum disciplinis et a tota fere antiquitate est aliena? Apud omnes enim Socraticos civitas est bonum ethicum, ethicis legibus circumscribendum, rerum politicarum vero scientia a virtutis principiis et elementis pendet. Nostri demum temporis disciplinae philosophicae et politicae periti leges moresque adeo distinguunt et separant, ut nova inde legalitatis (quam nunc dicunt) et moralitatis disiunctio existat. Ita fieri potuit, ut Kantius v. c. civitatis notionem proponeret, quae vel ipsos diabolos et malos daemones ad externam quandam cum Legibus convenientiam adstringeret. Quae omnia quam longe discrepent ab ethicis Socraticorum principiis bene docuit Koeppen *Politik nach platon. Grundsätzen. Einleit.* pag. 1 — 35. *Gesetzgeb.* pag. 210 sq.

Iam singula quaedam minoris momenti secundum ea quae hactenus disputata sunt, diiudicare licebit.

Enimvero negari non potest, inesse singula quaedam in libris de Legibus, quae minus ad virtutis ideam educatione et eruditione instituendam quam ad rerum externarum et casu oblatarum descriptionem legibus firmandam pertinere videntur. Huc referri potest v. c. quod Leg. VIII, 10 p. 844 — 5. praescribitur de fructibus colligendis, quatenus civibus, servis, inquilinis et peregrinis alienos fructus carpere liceat; alia plura quae lib. IX. de criminibus constituuntur, poenae praesertim quae modo graviores modo leviores quam pro virtutis idea inde gignenda videri possunt, plurima denique quae lib. XI. ad res hominum externas formandas et fingendas ita constituuntur, ut in singulis quibusvis vix arbitrium quoddam iubendi negare possis, cum multa insint, quae aliter etiam recte institui potuissent. Quae an Platone indigna sint habenda, iam dubitare non amplius licebit. Descripsit enim noster, ut supra demonstravimus, civitatem non idealem, sed qualis re vera quondam institui posset. Etsi vero ab educatione maxime rerum

publicarum vigor pendeat, tamen multos homines in talibus civitatibus vel optima educatione instructos — malos, fraudulentos, mendaces imo viles et ad quaevis scelera et flagitia paratos evadere, res est, explicatu quidem difficilis, in veris civitatibus tamen adeo certa et explorata, ut nemo unquam illam dubitaverit. Nonne vero tales homines vi prorsus sunt coercendi certisque poenis afficiendi, nonne omnes eorum res externas et aliorum hominum usus ita certis et definitis legibus describere decet, ut pro quovis peccato adsit etiam certa poena, quae a committendis sceleribus fortiter deterrere possit? Nonne hae ipsae leges ut plurimum criminales ad educandos cives minus valeant, necesse est, cum ipsi cives, quorum causa adsunt, omnem educationem utpote sibi inutilem iam frustrati sint?

Vel sic tamen non quia peccatum est sed ne peccetur poena est proposita *), unde has quoque leges ad mores publicos formandos quodammodo pertinere apparet. Nonne igitur certis legibus opus est ad firmandas in civitate res externas et casu oblatas, nonne istis legibus iubendi quoddam arbitrium potest concedi, quandoquidem multis modis iisque bonis utique et egregiis tales res constituere licet? Quid quod ipsa rerum moralium principia per se certissima et omnibus numeris absoluta, in singulis vitae casibus arbitrium quoddam agendi et praescribendi admittunt? Nonne tale iubendi arbitrium interdum legislatori multo magis est concedendum, cum quae rerum moralium doctor dubia et intacta relinquere possit, legislator saepe non possit?

---

*) Constans haec certe est Platonis sententia; vid. Gorg. p. 525 A. Protag. p. 324 A. Crit. p. 106 B., ipsasque Leges v. c. *οὐ γὰρ ἐπὶ κακῷ δίκη γίγνεται οὐδεμία γιγνομένη κατὰ νόμον, δυεῖν δὲ θάτερον ἀπεργάζεται σχεδόν, ἢ γὰρ βελτίονα ἢ μοχθηρότερον ἧττον ἐξειργάσατο τὸν τὴν δίκην παράσχοντα.* Leg. IX, 2 p. 854. *δίκην δὲ ἕκαστος ἑκάστῳ τῷ κακουργήματι σωφρονιστύος ἕνεκα ξυνεπομένην προσεκτισάτω, οὐχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι διδοὺς τὴν δίκην (οὐ γὰρ τὸ γεγονὸς ἀγένητον ἔσται ποτέ), τοῦ δ' εἰς τὸν αὖθις ἕνεκα χρόνον ἢ τὸ παράπαν μισῆσαι τὴν ἀδικίαν αὐτόν τε καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτὸν δικαιούμενον.* Leg. XI, 12 p. 934 al.

Nihil igitur in hac re video quod Platone indignum aut ab eiusdem ingenio divino alienum esse videatur. Ipse longe meliora de hac re statuit: *νόμοι οἳ μὲν τῶν χρηστῶν ἀνθρώπων ἕνεκα γίγνονται, διδαχῆς χάριν τοῦ τίνα τρόπον ὁμιλοῦντες ἀλλήλοις ἂν φιλοφρόνως οἰκοῖεν, οἳ δὲ τῶν τὴν παιδείαν διαφυγόντων ἀτεράμονι χρωμένων τινὶ φύσει καὶ μηδὲν τεγχθέντων, ὥστε μὴ οὐκ ἐπὶ πᾶσαν ἰέναι κάκην* etc. Leg. IX, 17 p. 880. Quorum si quis magna crimina committit, *ὡς ἀνίατον ἤδη τοῦτον ὁ δικαστὴς διανοείσθω λογιζόμενος οἵας παιδείας τε καὶ τροφῆς ἐκ παιδὸς τυγχάνων οὐκ ἀπέσχετο τῶν μεγίστων κακῶν.* Leg. IX, 2 p. 854. — Ita etiam factum est, ut interdum legum prooemium omittere et simpliciter iubendo, vetando et puniendo in maleficos consulere liceat: *Τὸ μέντοι μεγάλων πέρι λεγομένων νόμων καὶ σμικρῶν εἰ ὁμοίως προοιμιάζεσθαι προστάττοιμεν, οὐκ ἂν ὀρθῶς λέγοιμεν· οὐδὲ γὰρ ᾄσματος οὐδὲ λόγου παντὸς δεῖ τὸ τοιοῦτον δρᾶν, καίτοι πέφυκέ γε εἶναι πᾶσιν, ἀλλ' οὐ χρηστέον ἅπασιν.* Leg. IV, 12 p. 723.

Huc pertinent etiam permultae iuris privati leges, quae per se ethicam virtutis ideam in civitate instaurare non possunt, quoniam singulae earundem institutiones ad principia et elementa philosophica non semper possunt referri, unde singula permulta licet diversa et contraria tamen aeque apta et bona in iis existere possunt, quorum non est *ἐπιστήμη* sed *ὀρθὴ δόξα.* Quamvis autem leges istae per se fluctuantes ab arbitrio quodammodo pendeant, tamen in vera civitate omitti non possunt, ut certa adsit rerum privatarum regula et norma quae in iisdem rebus ius omnibus commune et aequale reddat, et quae, dum incommoda et impedimenta permulta aufert, negativo certe modo ipsam virtutis ideam iuvare solet. Sed vide quae fusius de hac re disputarunt Rehberg *über den Code Napoleon* p. 37. Schlosser *Briefe über die Gesetzgebung* p. 107. Koeppen *Politik nach Platon. Grunds.* p. 290 sqq.

In hac igitur civitate leges proponere rebus inter homines externis et singulis vitae casibus, nescio quomodo a Platonis ingenio abhorrere possit, dummodo omnes virtutem ultimum civitatis finem respiciant, et quod educatione omittitur, quasi

suppleant. Quod ita in Legibus factum esse, certum est. Quantilla praeterea in tote opere sit pars harum legum ad res externas tantum spectantium, non est quod Legum lectorem multis moneam. Neque quam falsa sit Astii sententia, Solonem, Lycurgum et optimum quemvis legislatorem res externas quas dicit in legislatione *plane* omisisse, quemquam historia harum rerum perspecta, latere poterit.

Restat ut difficilem illum Platonis locum Pol. IV, 4 p. 425. E. — 5 p. 427. A. cum Legibus conciliemus. Plato scilicet ibi contendit, leges de pactionibus, de mercatura aliisque rebus externis nihil valere, cum in mala civitate tales leges neminem iuvare possint, in bona vero re publica cives institutione et educatione imbuti huiusmodi legibus facile careant; ridiculum praeterea esse in legibus ferendis periclitari et dubiis rebus agitari, donec verum forte quodammodo consecutus esse tibi videaris, etc. — Quae ad mercaturam pertinent, alio loco illustrabo; quae de legum ferendarum ratione instant, ita sunt expedienda: Rerum externarum leges in vera civitate omitti nunquam posse, iam supra vidimus, omniumque civitatum exempla semper et ubique docuerunt et adhuc docent. Nonne igitur per se necesse est, quod Plato l. l. in Politia praescripsit, hoc ad solam idealem civitatem esse restringendum? Quam ubi optimam esse ponimus, nullis omnino rerum externarum legibus opus erit; sin autem ista civitas ab ipsa idea semel recessisse cogitatur, nullae prorsus leges externae summae perfectionis ideam denuo efficere et revocare possunt. Civitas Politiae igitur, ad summam perfectionis ideam formata, istis legibus externis omnino carere debet. Quam vero civitatem in Legibus adumbratam invenimus, ea non nisi legibus rerum externarum adsumtis institui potest. Quae diversae Platonis sententiae minime sibi repugnant, sed ad diversam plane civitatis formam pertinent, quod ita verum esse, nemo prorsus, tribus illis rei publicae formandae rationibus, in quibus describendis supra versati sumus, perspectis et probatis, negare poterit. Neque novi aliquid in hac re a me detectum est, sed idem iam vidit Apulei. de habit. doctr. Plat. II. p. 27, qui dicit, eiusmodi civitatem (qualis in Politia describitur), nullis extrinsecus latis legibus indigere.

In legum experimentis periclitandis praeterea nostrum de Legibus opus minime versatur; ipse enim auctor iubet *μὴ πλανᾶσθαι πρὸς πολλὰ στοχαζόμενον, ἀλλ' εἰς ἓν βλέποντα πρὸς τοῦτο ἀεὶ τὰ πάντα οἷον βέλη ἀφιέναι.* Leg. XII, 11 p. 962. *πρὸς γὰρ ἓν ἔφαμεν δεῖν ἀεὶ πάνθ' ἡμῖν τὰ τῶν νόμων βλέποντ' εἶναι, τοῦτο δ' ἀρετὴν που ξυνεχωροῦμεν πάνυ ὀρθῶς λέγεσθαι.* ib. p. 963. Nihil nisi hoc concedi potest, multa in Legibus ut humana omnia, adhuc esse imperfecta et incondita, quod ipse auctor etiam concedit; v. c. *περὶ μὲν ταῦτα οἷον περιγραφή τις ἔξωθεν περιγεγραμμένη τὰ μὲν εἴρηκε τὰ δ' ἀπολείπει σχεδόν.* Leg. VI, 14 p. 768. Inde fit ut in legibus emendandis semper multa opera et industria sit versandum, quemadmodum pictor quoque umbra distinguens, extollens seu quomodocunque illud a pictoribus dicatur, picturas semper emendare magis magisque exornare nec unquam incrementa altioris pulchritudinis negligere debet. Leg. VI, 14. p. 769. Imo sunt etiam artis successores praeparandi, qui opus inceptum servare, firmare, alia addere alia resecare et ad communem hominum probationem illud adducere possint. Leg. ib. p. 770. Quod tantum abest ut ad vana et inania legum ferendarum experimenta pertineat, ut potius certus quidam annorum numerus plerumque sit positus quorum experientia et usu edoctis legum immutatio liceat, donec denuo stabilitae non nisi communi totius civitatis consensu vix iterum immutari possint. Leg. VI, 15 p. 772. Quae omnia optimo cuivis legislatori convenire docuerunt etiam Aristoteles pol. II, 5, 10 — 14 ed. Schneid. Koeppen *Politik u. s. w.* p. 215 sqq.

Quod denique Astio displicuit, auctorem ad singulas res easque minutas legibus describendas nimia diligentia adhibita descendere, hoc primum nescio an non satis verum sit, deinde si verum est, magis ad laudes huius operis eiusque *ἀκρίβειαν* celebrandam quam ad famam laedendam pertinere censeo. Haec ipsa enim per partes descriptio quae singula quaevis consectatur propter id ipsum requiritur quod sublimior civitatis idea nunc singulis permultis loci temporisque conditionibus adaptatur. Nihilominus tamen auctor ipse multis locis profitetur, se non minutissima quaevis legibus circumscribere velle, sed multa huiusmodi et singulis magistratibus et aliis post se legisla-

toribus relinquere. Sic dicit v. c. *μὴ πάντα ἀξιοῦν πολλὰ καὶ σμικρὰ καὶ τοῦ ἐπιτυχόντος νομοθέτου γιγνόμενα τὸν μείζω πόλεως κοσμητὴν νομοθετεῖν.* Leg. VIII, 9. p. 843. E. *μυρία δὲ ταῦτα ὄντα καὶ σμικρὰ νόμιμα, καθ' ἃ δεῖ τὰς τιμωρίας, γίγνεσθαι, λήξεών τε πέρι δικῶν καὶ προσκλήσεων καὶ κλητήρων, καὶ πάντα ὁπόσα τοιαῦτά ἐστιν, οὔτ' ἀνομοθέτητα οἷόν τ' εἶναι, γέροντός τε οὐκ ἄξια νομοθέτου, νομοθετούντων δ' αὐτὰ οἱ νέοι, πρὸς τὰ τῶν πρόσθεν νομοθετήματα ἀπομιμούμενοι, σμικρὰ πρὸς μεγάλα καὶ τῆς ἀναγκαίας αὐτῶν χρείας ἐμπείρως ἴσχοντες, μέχριπερ ἂν πάντα ἱκανῶς δόξῃ κεῖσθαι· τότε δὲ ἀκίνητα ποιησάμενοι ζώντων τούτοις ἤδη χρώμενοι μέτριον ἔχουσι.* Leg. VIII, 11 p. 846. *νόμους δὲ περὶ τούτων νομοφύλακες τοὺς πρέποντάς τε καὶ ἱκανοὺς θήσουσι.* VIII, 11 p. 847. *εἰσαγωγὰς δὲ τούτων καὶ προσκλήσεις καὶ ὅσα τοιαῦτα καὶ ὡς δεῖ γίγνεσθαι, τοῖς νεωτέροις νομοθέταις χρὴ μέλειν.* Leg. IX, 2. p. 855. D. *ὀρθῶς ἔχει τὰ μὲν ἤδη τῶν νόμων λέγειν ὡς τιθέμενα, τὰ δ' ὡς παρατιθέμενα.* etc. Contra tamen in Politia etiam plura inveniuntur, quae minoris momenti et argumenti esse auctor ipse profitetur, v. c. *οὗτοι ταῦτα πολλὰ καὶ μεγάλα αὐτοῖς προστάττομεν ἀλλὰ πάντα φαῦλα.* Pol. IV, 3 p. 423.

2.

DE CIVITATIS IN LEGIBVS DESCRIPTAE FORMA ET CONSTITVTIONE.

Legum platonicarum consilio atque indole aeque ac principiis et fundamentis perspectis, ad ipsius civitatis his Legibus perscriptae examen transire licet. In qua re primum huius civitatis forma et quam dicimus constitutio, deinde singula eiusdem instituta sunt recensenda.

Rei publicae forma, et constitutio triplex esse potest, monarchica, aristocratica et democratica. Leg. III, 12 p. 693. Monarchiae genera sunt *βασιλεία*, sola inter caetera legitima et nobilis, *δεσποτεία*, qua orientales utuntur, et *τυραννίς* imperio iniusta vi usurpato. Ubi plures regnant adest vel *ἀριστοκρατία*,

in qua imperium est apud optimates, vel *τιμοκρατία*, si externo honore et gloria praecellentes regnant, vel quae deterior inde existit *ὀλιγαρχία*, si singulae gentes perpetuum imperium occupant. — In *δημοκρατία* denique summum valet populi imperium, unde pessima plerumque *ὀχλοκρατία* existit, quae a fluctuante plebis voluntate pendet. Cf. Plat. Pol. VIII. Secundum Platonem optimum civitatis genus est aristocratia utpote interposita inter monarchiam et democratiam, quarum exempla sibi contraria tunc temporis aderant in Persarum imperio et Atheniensium republica. Quae sententia in Politia (VIII al.) praeclare exposita, nec in Legibus desideratur, v. c. *μοναρχικὴ καὶ δημοκρατικὴ πολιτεία ἧς ἀεὶ δεῖ μεσεύειν τὴν πολιτείαν.* Leg. VI, 5 p. 716. *δημοκρατία καὶ ὀλιγαρχία καὶ τυράννις, τούτων γὰρ δὴ πολιτεία μὲν οὐδεμία, στασιωτεῖαι δὲ πᾶσαι λέγοιντ' ἂν ὀρθότατα.* Leg. VIII, 3 p. 832. cf. IV, 5 p. 712 al.

Ita et Politia et Leges eandem aristocratiam nobis referunt, quae tamen in Politia ad *βασιλείαν*, in Legibus ad democratiam propius accedit. Idealis enim civitatis forma et constitutio ab uno tantum homine pluribusve pendeat, parum interest, quia omnes in muneribus obeundis et gerendis aeque religiosi et accurati esse ponuntur, v. c. *λέγω ὅτι εἷς μὲν οὗτος ὃν ἡμεῖς διεληλύθαμεν πολιτείας εἴη ἂν τρόπος ἐπονομασθείη δ' ἂν καὶ διχῇ· ἐγγενομένου μὲν γὰρ ἀνδρὸς ἑνὸς ἐν τοῖς ἄρχουσι διαφέροντος βασιλεία ἂν κληθείη· πλειόνων δὲ ἀριστοκρατία· τοῦτο μὲν τοίνυν ἓν εἶδος λέγω.* Pol. IV, 18 p. 445.

In vera autem civitate qualis locum in terra habere potest, prae caeteris cavendum est ne malo quodam monarchiae genere res publica prematur, igitur haec ad democratiam Graecarum civitatum more propius accedat necesse est, ita tamen, ut ultimis poenis cautum sit ne ad modum *ὀχλοκρατίᾳ* penitus tollendum res publica excedat. Ita, quod nondum satis observatum esse videtur, utraque rei publicae forma et constitutio in Politia et in Legibus necessario est diversa et inter utramque distinguendum. In Politia scilicet praeter servos, quos tamen quam paucissimos eosque ex barbaris gentibus accitos (*μηδὲ Ἕλληνα ἄρα δοῦλον ἐκτῆσθαι μήτε αὐτούς, τοῖς τε ἄλλοις Ἕλ-*

λῃθεν οὕτω ξυμβουλεύειν. -Pol. V, 15 p. 469; cuius rei causa pulcherrime exponitur ib. 16, p. 470.) Plato esse iubet, tria adsunt civium genera et tres ordines, inter se separati et seiuncti, ut ex alio in alium transire plerumque non liceat, sed singulus quisque civis, cui ordini semel adscriptus sit, in eo quoque per totam vitam permanere soleat, ut tres igitur magistratuum, militum et opificum ordines integri semper existant, ad ipsam animi humani naturam et indolem accommodati. Quam rem longe aliter in Legibus institutam esse invenimus. In harum civitate reapse instituenda secundum morem istorum temporum pluribus servis opus erat. Contra minor adest isque certus 5040 civium numerus, qui in classes et ordines non amplius distribuuntur, sed civitati regendae, moderandae et defendendae simul operam navant, prout vel munera publica iis sunt obeunda, vel *ἀγορα* ad deliberandum eos convocat vel bellum denique ipsorum virtutem et fortitudinem requirit. Opificia et artes quae ad quaestum parandum spectant, servis maxime et hospitibus, qui in urbe commorantur, relicta sunt; et omni modo cavetur ne quid aliud quam rem publicam iuvandam civis quisquam curare conetur. Quae omnia a Lacedaemoniorum re publica translata quam discrepantia sint a Politiae praeceptis quis non videt? A Platonis ingenio tamen, quid abhorreat in hac re nemo videt. Discrepantia enim ex diverso utriusque operis consilio, quod supra exposuimus, necessario proficiscitur, et diversae plane sunt Politiae et Legum civitates. Nonne ineptum adeo fuisset si *eandem* civitatem Plato duobus operibus diversis, absolutis et integris describere voluisset?

Huc praeterea pertinet, quod Astius dixit, sententias de tyrannide in Politia et Legibus plane esse diversas. Quam rem utique negaverim. In Politia VIII, 13 p. 562 — fin. libr. tyrannis ex corrupta demum democratia orta pessima est omnium quae rerum publicarum inveniuntur constitutio, quoniam imperio iniuste usurpato, iustitia, sine qua civitas esse non potest, iam laesa et corrupta, omnia hoc civitatum fundamento et scopo carere debent. — Neque diversum omnino de tyrannide iudicium in Legibus invenio; tantum enim abest ut tyrannis in Legibus probetur, ut ipsa non res publica sed *στασιωτεία* dicatur. Leg. VIII, 3 p. 832.

Errorem scilicet induxit locus Leg. IV, 4 p. 710 — 11, quo tamen accuratius perspecto facile videris non ipsam tyrannidem per se laudari, sed facilem illam rationem quae a tyrannide interdum ad *βασιλείαν* et *ἀριστοκρατίαν* perducit. Ubi enim (quod tamen rarissime tantum imo nunquam fortasse ita fieri Plato ipse vidit et dixit) adest tyrannus, iuvenis, temperatus, ingenii acumine et memoria pollens, fortis, magnificus et felix, et cum eo simul legislator prudens omni laude dignus, ubi uterque sibi congruus et constans fortuna quadam ad eundem finem consequendum perducitur, tunc civitas celerrime et optime eam gubernationem assequitur, qua felicissime vivit; nunquam enim melior, nunquam velocior dispositio civitatis aut fit aut fieri potest, qua tamen feliciter inventa, omnia ferme Deus dedit, quae dare solet, quoties civitatem felicem maxime vult fore. Ita non multo labore nec longo tempore opus est tyranno, civitatis mores mutare cupienti, sed si ad virtutis officia cives perducere vult, ipse primus viam qua caeteri sequantur, ingrediatur oportet, omniaque in se ipso primum expressa praescribat, alia laudans et honorans, alia vero vituperans, et eos qui minus obediunt, in singulis actionibus semper dehonestans. Haec sunt ipsius nostri de hac re verba. Sed praeterquam quod talis tyrannis nunquam fortasse invenitur (*ἀλλὰ τόδ' ἐστὶ τὸ χαλεπὸν γενέσθαι καὶ ὀλίγον δὴ τὸ γεγονὸς ἐν τῷ πολλῷ χρόνῳ*. Leg. IV, 4 p. 711. D.), etiamsi adesset, tamen non ipsa per se secundum Platonem foret laudanda, sed quatenus facillimum et celerrimum ad melius transitum praebet. Quod ita verum esse nemo facile negabit, neque quid a Politia discrepet video; nec alii viderunt, inter quos Koeppen *Politik u. s. w.* p. 128 — 31. Imo aptissimum illud videtur, ad ordinem istum complendum quo in Pol. VIII. rerum publicarum formae se excipere dicuntur. Ex optima enim *βασιλείᾳ* seu *ἀριστοκρατίᾳ* oritur *τιμοκρατία* et *ὀλιγαρχία*, quam denique excipit *δημοκρατία* et tyrannis. Iam vero tyrannis civitatem omnino perdit et exstinguit, vel ubi meliorem fortunam Deus concesserit, iterum ad *βασιλείαν* et *ἀριστοκρατίαν* perducit, qua spe pulcherrima Plato prae caeteris quondam ductus esse videtur, cum ad Syracusanorum rem publicam miti et benigno Dionysii tyranni ingenio et indole restituendam se accingeret. — Eandem praeterea de hac re

sententiam licet a se ipso improbatam Platoni tribuit Aristoteles pol. V, 10 ed. Schneid.

De Platonis quae dicunt, paradoxis, magistratus esse philosophos oportere, imperantes legibus non esse constringendos, vide quae disputarunt Morgenstern pag. 203 — 13. de Geer 163 — 175.

3.

DE DISCIPLINA PVBLICA, RE FORENSI ET AERARIA.

In singulis civitatis nostrae institutis perspiciendis nil nisi hoc nobis iniunctum est, ut quae Platone forte indigna aut ab eiusdem sententiis alibi traditis abhorrere videantur, ea denuo examinemus. Quae tamen cum sint paucissima eaque a principiis hactenus iam traditis maxime pendentia, minoris haec disputationis pars videbitur. Passim praeterea quae in Politia aeque ac in Legibus eodem modo praecipiuntur, breviter indicabo.

Quae ad disciplinam et securitatem publicam pertinent, passim (praesertim lib. VI. VIII. IX. XI.) sunt exposita, magna plerumque industria vel in minutis rebus constituendis adhibita. Mirifice consentiunt cum Politiae praeceptis leges, quibus, ne quis contra publica instituta disputet aut clam interitum iis paret, cavetur. Ipsi poetae semper secundum leges dicere, carminaque tradere et dramata praesertim ad legum normam exigere iubentur; de qua re vid. Morgenstern pag. 237 sqq. — Deinde quivis non nisi unum negotium aut opificium tractare, in utraque civitate iubetur, ut ipse *εἷς γενῆται μὴ πόλλοι.* II, 3 p. 423. 11 p. 370. 14 p. 374. Leg. VIII, 11 p. 846.

Ex talibus rebus praeterea Morgenstern pag. 197. colligendum esse putavit, libertatem civilem in civitate platonica nimis esse circumscriptam. Sed Platonis certa et constans est sententia, totius civitatis salutem plus valere singulorum ci-

vium felicitate. Praeterea etiam maxima severitate opus erat, ne aristocratia in democratiam plane transiret, et pessimum haud dubie Platoni obversatum est rei publicae Atheniensis exemplum, cuius vitia multifaria bene exposuit de Geer pag. 34—66.

Res ad iudicia pertinentes in Politia plane omissae, in Legibus brevius fortasse quam pro exspectatione memorantur; sed litis cuiusvis diremtionem penes arbitros magis quam penes iudices lege constitutos auctor esse voluit. Multa etiam de hac re constituenda minoribus legumlatoribus sunt relicta, cf. Leg. VIII, 9 p. 843 E. Auctor ipse tamen accuratiorem legum iudicialium recensionem, quam animo conceptam habebat, in fine harum Legum adiiciendam promisit: πρὸς γὰρ τέλει νομοθεσίας ἡ δικανικῶν ἀκριβὴς νόμων θέσις ἅμα καὶ διαίρεσις ὀρθότατα γίγνοιτ' ἂν μακρῷ· ταύταις μὲν οὖν εἰρήσθω πρὸς τῷ τέλει περιμένειν ἡμᾶς. Leg. VI, 14 p. 768. Sequitur illa etiam Leg. XII, 8 p. 956—57, adeo tamen circumscripta et contracta ut auctorem hanc operis partem nondum absolvisse facile appareat.

Quae ad reditus et vectigalia publica pertinent, fere sunt omissa, neque ullius momenti in civitate platonica ea esse potuerunt, quae in Lacedaemoniorum adeo re publica fere sunt neglecta. Cives enim propterea quod cives sunt, gratis et muneribus publicis fungi et militare solent, nec ullum nisi ad coenam publicam instaurandam tributum pendunt. — Quae ad χρηματισμόν spectant, ab utraque Platonis civitate sunt aliena.

4.
DE RE MILITARI.

Non adesse in libris de Legibus diversum et separatum militum ordinem, crimini datum esse video. Cur vero talis militum ordo existere non possit, civitatis nostrae constitutione perspecta per se apparet. Non enim, ut iam monui, tres ci-

vium ordines, semper et ubique diversi et separati in nostra civitate adsunt; sed omnes cives, prout requiritur, tam civilibus quam militaribus rebus gerendis adsunt. Quae res cum ex diversa utriusque civitatis ratione necessario existat, nullo modo a Platonis ingenio abhorrere potest. Neque Lacedaemoniorum res publica, virtute et fortitudine bellica maxime insignis, diversos civium ordines ad res domi militiaeque gerendas habuit.

Res militares vero minime esse neglectas, ipsa operis lectio satis docet. Post *νομοφυλάκας* statim constituuntur III *στρατηγοί*, XII *ταξιάρχοι*, II *ἵππαρχοι*. Leg. VI, 4 p. 755—6. Ipsi cives inde a pueris arte gymnastica et exercitationibus militaribus disciplinae bellicae et militiae adsuescere iubentur. Leg. VII, 6 p. 795-6, et singulae huiusmodi exercitationes describuntur Leg. VII, 18 p. 814—5. VIII, 2 p. 830—1; quae armis etiam adhibitis sunt instituendae Leg. VIII, 4. p. 833; *οὐκ* enim *ἐν πολέμῳ τὸν πόλεμον ἑκάστοις γυμναστέον, ἀλλ' ἐν τῷ τῆς εἰρήνης βίῳ* Leg. VIII, 1. p. 829. His exercitationibus militaribus ipsae puellae interesse iubentur, ut hae quoque armorum tractandorum fiant quam peritissimae, et hoc si quid aliud, vere est platonicum; turpe enim Platoni visum est, mulieres et foeminas pro liberis minore ardore pugnare quam quo brutas adeo bestias insignes esse videmus. Unde etiam foeminis, poscente saltem difficili quodam patriae discrimine, militiae tempus ad quinquagesimum usque annum esse potest, *πρὸς πόλεμον δὲ γυναικὶ, ἣν ἂν δοκῇ χρείαν δεῖν χρῆσθαι πρὸς τὰ πολεμικά, ἐπειδὰν παῖδας γεννήσῃ, τὸ δυνατὸν καὶ πρέπον ἑκάσταις προστάττειν, μέχρι τῶν πεντήκοντα ἐτῶν.* Leg. VI, 23, p. 785. cf. Leg. VII, 11 — 12, p. 804 — 5. VII, 17, p. 814 etc. vid. Morgenstern de educationis et munerum inter mares et feminas communicatione, pag. 219.

Viris porro militia est a vigesimo ad sexagesimum usque annum (vid. locc. laudd.); ipseque numerus civium sit *ὁπόσοι τοὺς προσχώρους ἀδικοῦντάς τε αὐτοὺς ἀμύνασθαι δυνατοί, καὶ γείτοσιν ἑαυτῶν ἀδικουμένοις βοηθῆσαι μὴ παντάπασιν ἀπόρως δύναιντ' ἄν.* Leg. V, 8 p. 737. Quam bellicosam omnino et militarem civitatem auctor fingere voluerit, ex Leg. XII, 2 p. 942 praesertim apparet. Gravissimae *ἀστρατείας*, *λειποταξίας*, *ῥιψασπιδίας* poenae

sunt constitutae; XII, 2 p. 943 — 5. Imo ne murum quidem urbi circumdari vult, ne cives ea spe freti imbelles et socordes fieri possint. Extremos tamen totius terrae fines omni modo firmari et muniri iussit. Leg. VI, 20 p. 778 — 9.

Cui nihilominus forte res militares in libro nostro negligentius pertractatae esse videntur, is denique cogitet, quanta cura et industria auctor id agere voluerit, ne sola fortitudo militaris utpote particula virtutis, sed ut ipsa illa virtus integra et absoluta res gerendas moderetur. (cf. Leg. IV, 2 p. 705. al.) *οὐ τὸ σώζεσθαί τε καὶ εἶναι μόνον ἀνθρώποις τιμιώτατον ἡγούμενοι, καθάπερ οἱ πολλοί, τὸ δ' ὡς βελτίστους γίγνεσθαί τε καὶ εἶναι, τοσοῦτον χρόνον ὅσον ἂν ὦσιν.* Leg. IV, 2, p. 707.

5.

DE RELIGIONIS CVLTV, DE LITTERIS ET ARTIBVS.

Quanta cura et industria noster versatus sit in rebus ad publicum religionis cultum pertinentibus constituendis, inque rerum divinarum ratione explicanda, non est quod demonstrem; Platonis ingenio enim haec optime convenire nemo dubitat. Notabilis tamen est eius sapientia, qua in Politia philosophicam summi et unici Dei notionem puram et praeclare descriptam tradidit, in Legibus vero vulgarem Deorum cultum et religionem in nova civitate constituenda tuetur. Inter ipsos magistratus recensentur *ἱερεῖς, ἱέρειαι, ἐξηγηταί, νεωκόροι, ταμίαι τῶν ἱερῶν* aliique rerum divinarum custodes. Leg. VI, 7, p. 759; et in toto opere res politicae et sacrae arctissime sunt coniunctae, ut Deos adeo esse rerum humanarum rectores argumentis philosophicis doceatur per lib. X. Ipsi homines sunt Deorum *κτήματα*· (Leg. X, 11 p. 902 — 3.) ut in Phaedon. pag. 62 B. Crit. p. 109 B. Neque tamen solis caeremoniis externis rem absolvi posse auctor putavit, sed impii frustra Deos colere dicuntur. Pol. II, 7. III, 4. Leg. IV, p. 716 — 7.

De litteris et artibus in civitate platonica institutis aliena est ab hoc loco disputatio. Notanda tamen sunt placita, quae in Legibus de poetis et de ipsa poesi occurrunt. Quae quam apta sint et Platonis ingenio et huic civitatis rationi, disci potest ex Morgensternii commentatione: de poetis e civitate eductis, pag. 237. cf. epimetr. II. pag. 296.

Quae de arte gymnastica et musica passim traduntur, ea vere Platonica esse nemo facile dubitabit.

Educationis publicae principia et elementa iam supra in disputatione de Legum ferendarum ratione proposui. Vide sis praeterea Morgensternii comment.: "civitatem Platonicam esse quasi educationis publicae scholam;" ad quam sententiam probandam recte ille adiecit: "confer si placet, totum opus de Legibus."

6.
DE REBVS DOMESTICIS ET PRIVATIS.

Res privatas et domesticas publice esse curandas et ad certas legum normas exigendas, certa est et constans Platonis sententia, quam in libris de Legibus quoque multis modis expressam esse invenimus. cf. Leg. VI, 21. p. 780 al.

Huc prae caeteris pertinet famosum illud et *πολυθρύλλητον* de bonorum et uxorum communione paradoxon, de quo disputarunt Morgenstern pag. 213—37. de Geer 176—37. Quod cur in Legibus sit omissum ex ipsius auctoris verbis Leg. V, 10. p. 739 satis apparet. Locus ad diiudicandum Platonis de hac re consilium gravissimus, hic est: *πρώτη μὲν τοίνυν πόλις τέ ἐστι καὶ πολιτεία καὶ νόμοι ἄριστοι, ὅπου τὸ πάλαι λεγόμενον ἂν γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα, λέγεται δέ, ὡς ὄντως ἐστὶ κοινὰ τὰ φίλων· τοῦτ' οὖν, εἴτε που νῦν ἐστιν εἴτ' ἔσται ποτέ, κοινὰς μὲν γυναῖκας, κοινοὺς δὲ εἶναι παῖδας, κοινὰ δὲ χρήματα ξύμπαντα* etc. — *τούτων ὑπερβολῇ πρὸς ἀρετὴν οὐδεὶς ποτε ὅρον ἄλλον θέμενος ὀρθό-*

τερον οὐδὲ βελτίω θήσεται. — Διὸ δὴ παράδειγμά γε πολιτείας οὐκ ἄλλο χρὴ σκοπεῖν, ἀλλ' ἐχομένους ταύτης, τὴν ὅτι μάλιστα τοιαύτην ζητεῖν κατὰ δύναμιν. ἣν δὲ νῦν ἡμεῖς ἐπικεχειρήκαμεν, εἴη τὲ ἂν γενομένη πως ἀθανασιάς ἐγγύτατα, και ἡ μὲν δευτέρως etc.

Neutiquam igitur diversa per se adest de hac re Platonis sententia, sed alterum alteri civitati convenire visum est; mihi certe praeclarum hoc sapientiae philosophi argumentum esse videtur, qui idealem hominum statum et conditionem a vera qualis plerumque inveniatur, longissime distare, nunquam non videret; neque igitur bonorum et uxorum communionem in nostram quoque civitatem transferre potuit. Nullo modo enim fingi potest, qua tandem ratione in hac civitate bonorum uxorumque communio existere potuisset. Miror ideo Astium hac re offensum esse, cum ipsa auctoris verba longe melius suadeant et alibi etiam res iam sit composita et expedita (cf. de Geer pag. 183.).

Universam praeterea foeminarum conditionem in Politia et Legibus eandem quidem esse, in his tamen ad verum rerum statum propius accedere, iam alii omnes viderunt. Solum fere discrimen io eo positum est, quod in Legibus foeminae muneribus publicis (quae in Politia iis tribuuntur) fungi non possunt iis exceptis quae soli earum sexui apta esse videntur, v. c. Leg. VI, 23. p. 784. VII, 4. p. 794. Quam rem utriusque civitatis rationi ipsiusque igitur Platonis ingenio optime convenire nemo non videt.

Matrimonii tempus num eodem modo semper constitutum sit nec ne, res est nullius momenti. Nonne nunc quoque vel in codicibus legum publice sancitis talia quae sibi repugnant eaque multo graviora interdum inveniuntur? ut novos adeo legum codices apocryphos inde compositos esse videamus? — Neque tamen satis recte hanc rem Astius percepisse videtur. In Pol. V, 9. p. 460 enim totum matrimonii seu *τεκνοποιίας* tempus memoratur, quod viris ab anno 30—55, foeminis ab anno 20—40 perdurat; hic enim est *μέτριος χρόνος ἀκμῆς σώματός τε καὶ φρονήσεως*. In Legibus vero solum initium matrimonii ineundi ponitur viris inde ab an. 30—35, ita tamen ut iam 25 annos natus rem habere cum puellis possit.

Leg. VI, 15—16, p. 772. Post annum aetatis 35 poenae sunt *ἀγαμίας*. Leg. VI, 17. p. 774. Alio loco idem ineundi matrimonii tempus 30—35 annorum viris, 16—20 annorum puellis constituitur. Leg. VI, 23. p. 785. Puellae iterum intra annum 18—20 viro nubere iubentur Leg. VIII, 4. p. 833. *Τεκνοποιία* denique matrimonii utrique sexui in decem annos extenditur Leg. VI, 23. p. 784, quam rem tamen in votis magis quam in praeceptis Platoni fuisse, ex ipsius verbis obiter et obscurius subiunctis colligi posse videtur: *ἡ δὲ παιδοποιΐα καὶ φυλακὴ τῶν παιδοποιουμένων δεκέτις ἔστω μὴ πλείω δὲ χρόνον, ὅταν εὔροια ᾖ τῆς γενέσεως — μετὰ δὲ ταῦτα ὁ μὲν σωφρονῶν καὶ σωφρονοῦσα εἰς τὰ τοιαῦτα πάντα ἔστω εὐδόκιμος, ὁ δὲ τουναντίον ἐναντίως τιμάσθω, μᾶλλον δὲ ἀτιμαζέσθω.* Leg. VI, 23. p. 784.

Quae omnia neque inter se neque cum Politia ad amussim consentiunt; nec mirum hoc videri potest; Plato enim *ἀκμὴν* huius vitae significare voluit, cuius nulla unquam omnibus certa temporis regula et norma potest inveniri. Neque haec discrepantia vitio verti potest quoniam hae Leges in publicum civitatis usum non sancitae erant. Multo minus propter hanc rem nullius plane momenti Leges a Platone esse alienas cum Astio recte putaveris.

Praeterea locus in Leg. IV, 11. p. 721. ad matrimonii tempus definiendum vix apte laudatur. Non enim ibidem adest ipsa lex, sed exemplum quoddam legis ad persuadendum compositae (quod pertinet ad *νουθέτησιν* istam supra tractatam), ex quo solo ipsius auctoris sententia vix percipi potest. Non veram enim esse istam legem, vel ex singulis verbis apparet: *χρήμασι μὲν τόσοις καὶ τόσοις, τῇδε δὲ καὶ τῇδε ἀτιμία*, deinde *ζημιούσθω μὲν τόσῳ καὶ τόσῳ*, sicut ex iis quae sequuntur: *νόμους δὲ ἄρτι μοι δοκοῦμεν λέγειν ἄρχεσθαι, τὰ δ' ἔμπροσθεν ἦν πάντα ἡμῖν προοίμια νόμων.* Leg. IV, 12. p. 722. et *τοῦτ' αὐτὸ προοίμιον, ἀλλ' οὐ λόγος ἂν ὀρθῶς προσαγορεύοιτο εἶναι τοῦ νόμου.* Leg. IV, 12. p. 723.

Hoc loco explicandum denique superest quod ad mercaturam et rem quaestuariam spectat. In Pol. IV, 4—5. p. 425—27. leges de mercatura, de negotiis forensibus, de pactis aliisque huiusmodi rebus inutiles esse dicuntur. Quod (nisi ine-

ptum Platonem esse velis) non nisi in re publica ideali verum esse potest, quam "nullis extrinsecus latis legibus indigere: regia quippe prudentia et eiusmodi institutis ac moribus, quibus dictum est, fundatam caeteras leges non requirere" iam recte vidit Apulei. de hab. doctr. plat. II. p. 27. In altera vero civitate omnes res quae Pol. l. l. indicantur, legibus firmatae esse debent, quare etiam pertractantur *τὰ ξυμβολαῖα*, Leg. XI; *λοιδορίαι* XI, 10, *αἰκίαι* IX, *δικῶν λῆξις καὶ δικαστῶν καταστάσις* VI, 13 etc.

Nec magni tamen momenti leges de mercatura esse perhibentur: *ναυκληρικῶν μὲν γὰρ καὶ ἐμπορικῶν καὶ καπηλευτικῶν καὶ πανδοκεύσεων καὶ τελωνειῶν καὶ μεταλλειῶν καὶ δανεισμῶν καὶ ἐπιτόκων, τόκων καὶ ἄλλων μυρίων τοιούτων τὰ πολλὰ ἀπήλλακται χαίρειν αὐτοῖς εἰπὼν ὁ πέρὶ ταύτην τὴν πόλιν νομοθέτης, γεωργοῖς δὲ καὶ νομεῦσι καὶ μελιττουργοῖς καὶ τοῖς περὶ τὰ τοιαῦτα φυλακτηρίοις τε καὶ ἐπιστάταις ὀργάνων νομοθετήσει.* Leg. VIII, 9. p. 842, locus gravissimus sane in hac re et alteri ex Politica laudato plane similis. Mercatura ènim quatenus ad quaestum augendum exercetur, a civitate platonica prorsus abest, quatenus vero emtio et venditio ad victum accipiendum est necessaria, permittitur. Sic v. c. vetatur *καπηλείαν ἕνεκα χρηματισμῶν ἐν τῇ χώρᾳ ὅλῃ καὶ πόλει γίγνεσθαι.* Leg. VIII, 11. p. 847. Ita cives *φιλοχρήματοι ἥκιστ᾽ ἂν γίγνοιντ᾽ ἂν ἐκ τούτων τῶν νόμων.* Leg. VIII, 3. p. 832. *Τὸ γὰρ μὴ πλουτεῖν τὲ ἐξεῖναι ὑπερβαλλόντως ἀγαθὸν πρὸς τὸ σωφρονεῖν οὐ σμικρόν.* Leg. VIII, 5. p. 836. Ipsa urbs dicitur *ἥτις ἂν μήτε χρηματίζηται πλὴν τὸν ἐκ γῆς χρηματισμὸν μήτ᾽ ἐμπορεύηται.* Leg. XII, 5. p. 949. Quatenus vero victus necessarius mercatura comparari debet, leges accuratae de rebus in foro venalibus sunt perscriptae Leg. VIII, 13. p. 849—50; et talibus legibus nostra certe civitas carere non potuit. Vide sis praeterea Leg. XI, 2. p. 915.

Aurei et argentei nummi ex utraque civitate reiiciuntur. Pol. III, 22. p. 416. Leg. V, 12. p. 742, ita tamen ut secundae civitatis magistratibus istorum usus in bellis et legationibus liceat.

Permulta denique in hac civitate legibus firmanda ex Lacedaemoniorum re publica esse translata, non est quod mo-

neam; uberius enim hae res sunt expositae in Lacedaemoniorum reipublicae cum platonica comparatione quam instituit Morgenstern pag. 305 sq.

B.

DE REBVS PHILOSOPHICIS.

Placita philosophica quae in Legibus occurrunt quam egregie cum philosophia Platonica congruant, ex omnibus fere libris de Platone eiusque doctrina conscriptis, percipitur; quare hoc loco illa repetere molestum est. Tria tantum insunt, quae lectorem quodammodo possunt morari.

Primum enim idearum platonicarum doctrina, omne igitur, philosophiae platonicae fundamentum ab hoc libro abesse putatur. — Sed coniunctione illa, quae inter Politiam et Leges intercedit, perspecta, vitium illud non adesse per se intelligitur. Quae enim idearum doctrinae et principia in Politia exposita fuerant, ea in Legibus repeti non potuerunt. Civitas Legum a summa perfectionis idea remotior quidem est, sed tamen quatenus loci temporisque rationes admittunt, ad ipsam ideam accedit, et hoc si quod aliud, Platonicum est, ideae notionem per se descriptam et explicitam deinde etiam rebus humanis quales vulgo sunt applicare et quoad fieri potest, cum iis communicare. Quo consilio ductus Plato huic quoque civitati virtutis ideam integram et absolutam proposuit, quam singula quaevis vel minutissima quodammodo iuvare debent. Disertis verbis hanc idearum doctrinam semper exprimi et significari non requiritur; tamen ne hoc quidem est omissum; cf. Leg. XII, 11. p. 963 sq. al.

Deinde miro modo male habuit interpretes et philosophos mala ista mundi anima, Leg. X, 8. p. 896 memorata, quae scilicet Platonis de hac re doctrinae plane repugnare putatur. Sed omnes in eo errarunt, quod philosophiae Platonicae principia ex singulis verbis et sententiis e contextu

abruptis et evulsis componi posse putarent. Quae ratio cum in omnibus ubique scriptoribus cautius sit admittenda, in Platone omnino ferri nequit. Dialogorum enim forma et compositio varias variorum sententias explicandas admittit, ex quibus verum Platonis iudicium invenire altioris interdum est indaginis; res certissimae deinde secundum atticam quandam urbanitatem dubitanter enuntiantur aut sub ironia obscurius latent, ut nullus plane disputationis finis rite impositus adesse videatur. Qui si adest, tamen maxime respiciendum est diversum orationis genus, quod prout est vel dialecticum vel mythicum vel populare diversam plane rerum rationem efficit. Ex sola enim dialectica dictione rerum philosophicarum argumenta sunt repetenda; mythica oratio est de rebus, quae dialectice nondum fuerant expositae vel exponi omnino non possunt. Popularis denique quem omnes intelligant, dicendi usus in Legibus obtinet. Quibus neglectis tanta certe in Platone rerum sibi repugnantium copia invenitur, ut nihil certi unquam inde evolvi posse videatur; quo vitio Tennemanni quoque libri magnopere laborare videntur. Nostro certe loco Plessing, Cudworth, Brucker hariolati sunt, nec ipse Tennemannus, qui malam mundi animam Platoni intrudere conatur, rectum vidit.

Enimvero mala anima nihil amplius est nisi vulgaris loquendi modus ad designandam eam animae unicae partem et indolem, quae summas boni et pulchri ideas a Deo praescriptas interdum negligere iisque contraria efficere solet. Malum enim a Deo eiusque ideis divinis plane alienum in ipsa anima inest. Quae licet per se sit etiam bona, tamen suae ipsius voluntatis libertati indulgens (αὐτοκράτωρ) ad malum potest interdum adduci, et mala *pro tempore* fieri. Malum vero in ipsa anima inesse non est quod ex Politia denuo demonstrem; omnis enim Politiae civitas secundum hanc diversam animi indolem est constructa; et hoc placitum, si quid aliud, est sane Platonicum. Errore igitur circumventi sunt, qui huic malae animae singularem quandam substantiam et essentiam tribuunt; neque dualismus ad Zoroastris modum fictus, qualem seriores Platonici quidem habuerunt, in ipsis verbis inest; sed una eademque anima duplici vi et efficacia insignis, unde mala in-

ferdum pro tempore oriri solent, quae tamen cum a Deo eiusque ideis abhorreant, aeterna esse non possunt. Duplex igitur numerus non ad substantiam sed ad indolem internam pertinet; nec in oratione dialectica vocabulis per se vagis et incertis Plato uti potuisset, quae tamen in oratione populi captui magis accommodata neminem offendere debent. Unam enim animae substantiam esse intelligendam inde etiam manifesto apparet, quod oratione progrediente (l. l. pag. 897 sq.) una semper anima memoratur, v. c. in verbis statim subsequentibus *ἄγει μὲν δὴ ψυχὴ πάντα* etc. — Nihil igitur inest quod Platonis doctrina respuere debeat; sed mala ista anima eodem modo in Politia aliisque Platonis scriptis est expressa. — Quid quod eandem fere rem in mythica Timaei expositione invenimus. Licet enim ex Theaeteto, Phaedone et Philebo certissimum sit, animum esse unum eumque immortalem, tamen in Timaeo duplex docetur anima, altera mortalis, altera immortalis. Sed talia in Platone permulta inveniuntur, quae non ad singula verba, sed ad auctoris consilium, sententiarum connexum et dicendi usum sunt diiudicanda.

Mira denique sunt Ciceronis verba (de nat. Deor. I, 12.), quae quid sibi velint vix intelligo: "Iam de Platonis inconstantia longum est dicere, qui in Timaeo patrem huius mundi nominari neget posse; in Legum autem libris, quid sit omnino deus, anquiri oportere non censeat." Secundum interpretes Cicero respexit haec Platonis verba: *τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὕροντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν* Tim. p. 28 E. et *τὸν μέγιστον θεὸν καὶ ὅλον τὸν κόσμον φαμὲν οὔτε ζητεῖν δεῖν οὔτε πολυπραγμονεῖν τὰς αἰτίας ἐρευνῶντας· οὐ γὰρ οὐδ' ὅσιον εἶναι.* Leg. VII, 22. p. 821. Timeo tamen ne inconstantia in Platone perlegendo cadat in ipsum Ciceronem, qui scilicet verba subsequentia non viderit: *τὸ δὲ ἔοικε πᾶν τούτου τοὐναντίον γιγνόμενον ὀρθῶς ἂν γίγνεσθαι.* In Timaeo igitur Plato dicit Dei notionem invenire et divulgare esse difficillimum; quod cum omni tempore verum sit, maxime tamen Platonis aetate, qui primus scilicet, hanc summi Dei notionem invenire et constituere ausus est. Neque tamen, in Legibus adiicit, de hac re esse desperandum, sed omni modo in ipsam Dei naturam et indolem inquirendum. Ubi vero Platonis in-

constantia in hac re lateat, ego certe non assequor. Quod Cicero deinde adiunxit: "idem et in Timaeo dicit, et in Legibus, et mundum Deum esse, et coelum, et astra, et terram, et animos, et eos quos maiorum institutis accepimus: quae et per se sunt falsa perspicue et inter sese vehementer repugnantia" hoc quodammodo verum quidem est sed a Platonis consilio minime alienum. In Legibus enim verae civitati praescribendis vulgarem Deorum cultum et religionem negligere et improbare non potuit. A principiis philosophicis igitur alibi traditis interdum recedere necessario fuit coactus. Religio enim rationalis quam dicunt, nullo unquam tempore in civitate quadam publice institui et sanciri potest.

C.

DE REBVS CASV OBVIIS.

Argumenti politici et philosophici, quatenus opus esse videbatur, examine instituto, restat ut reliquas eiusdem particulas extra ipsam scientiam quidem positas sed casu quodam obvias et ad vitam Platonis interdum pertinentes perlustremus. Tales enim res per se nullius fere pretii, tamen ad auctorem et tempus libri conscripti inveniendum plurimum interdum valent, ut huiusmodi vestigia quam maxime sint urgenda et si fieri possit, ad originem usque persequenda. Nisi auctorem, tempus certe quodammodo inde constituere licet.

Hoc loco fortasse observare licet, ionismum et dorismum per totum opus sibi opponi, quod vere platonicum esse, ipse Astius monuit in commentar. ad Leg. pag. 148. Quod tamen non tantum in singulis quibusdam casu oblatis (v. c. Leg. III, 3. p. 680.) inesse apparet sed toti quoque operis et civitatis rationi impressum invenitur, ut passim demonstravit Morgenstern pag. 305 sqq.

Deinde memoratur Leg. I, 9. p. 638. victoria Syracusanorum de Locris reportata quae incidit in ol. 106, 1. (an. 356.) *) quatuor circiter annis post Platonis ex Sicilia reditum (ol. 106, 1. an. 360.) octo annis ante eius mortem (ol. 108, 1. an. 348.). Quibus octo annis igitur, siquidem Plato auctor fuit, nostrum opus conscriptum sit, necesse est. — Accuratior fortasse temporis descriptio elici posset ex verbis *Κείους δὲ Ἀθηναῖοι* Leg. I, 9. p. 638; sed praeterquam quod lectio est incerta, factum historicum istis verbis aptum nondum invenire potui; solas coniecturas vero, nisi certis argumentis sint innisa, facile omitto.

Praeterea Platonis vitae aptissima esse videntur, quae de Aegyptiorum et Persarum regno passim memorantur, quorum vestigia alibi interdum frustra quaesiveris, ut solus Plato suo ipsius harum rerum adspectu edoctus talia tradere potuisse videatur. Quamvis enim in itineribus Platonis vulgo narratis multa sint fabulosa et nulla plane fide digna **), tamen illum Artaxerxe Mnemone et Agesilao regnantibus non ita multo post Xenophontis expeditionem orientalem Aegyptum vidisse et Persarum fines attigisse nemo facile negabit. Ideo Aegyptiorum mores saepius a nostro notantur. Sic v. c. *σχημάτων* et *μέλων* exempla illi servare dicuntur, a quibus nec pictoribus nec aliis figurarum et artificiorum fabris recedere liceat, unde quod ante decem millia annorum depictum et formatum sit, nunc etiam imitandi exemplum proponatur. Leg. II, 3. p. 656. Nemo eorum praeter usum institutum hymnis choreisque in Deorum sacris utitur. Leg. VII, 8. p. 799. Pueri in Aegypto ludendo ut plurimum litterarum et numerorum arte imbui dicuntur. Leg. VII, 21. p. 819. Ista *θρέμματα Νείλου* hospites expellunt. Leg. XII, 6. p. 953. Aegyptiorum et Phoenicum malitia (*πανουργία*) ex aliarum artium et facultatum illiberalitate orta notatur. Leg. V, 14. p. 747. ut in Pol. IV, 11. p. 436. Quae omnia ipso Aegypti adspectu cognita et comperta esse videntur. Mirum certe videtur nusquam di-

*) Bentlej. respons. ad Boyl p. 191. ed. Lennep — opusc. philol. p. 342 sqq.

**) Vid. Ast *Leben und Schriften u. s. w.* pag. 22 — 25.

sertis verbis appositum esse: "quos (sc. Aegyptios) ipse vidi, quorum instituta ipse quondam perlustravi" vel tale quid, quod scriptor adulterinus ad fidem libri Platonici augendam vix omisisset.

Idem deinde cadit in ea quae de Persarum imperio passim memorantur. Memorabilis est locus de Dario: *Δαρεῖος ἐλθὼν εἰς τὴν ἀρχὴν καὶ λαβὼν αὐτὴν ἕβδομος, διείλετο ἑπτὰ μέρη τεμόμενος, ὧν καὶ νῦν ἔτι σμικρὰ ὀνείρατα λέλειπται.* Leg. III, 12. p. 695. quae res repetitur deinde ab auctore epistolae platonicae VII, p. 332. A. Notum tamen est ex Herod. III, 89; omne Persarum regnum in XX satrapias fuisse divisum, et putavit Morgenstern Herodotum isto Platonis loco tacite emendari. Neque tamen accurata Herodoti descriptio de istius divisionis veritate nos dubitare sinit. Puto igitur non provincias et satrapias esse cogitandas, sed imperii habendi partes potius intelligendas, quae septem istis coniuratis in perpetuum ipsorum honorem et memoriam traderentur. Ita summum Persarum imperium inter septem nobilissimos viros nescio quomodo divisum, penes illorum posteros diu esse potuit, ut Platonis quoque tempore huius rei vestigia adhuc (v. c. in nominibus gestis, in iuribus, commodis, beneficiis publicis servatis etc.) deprehendi possent. Quae res confirmatur etiam ab ipso Herod. III, 84; et hoc praeterea certum est, Platonem facillime huiusmodi res alioquin ignotas in itineribus orientalibus percipere potuisse.

Reliqua etiam quae Leg. III, 13. p. 697 — 14. p. 698 de corrupto Persarum imperio traduntur, accuratam eiusdem cognitionem arguunt. Ad tempus definiendum maximi momenti esse videntur verba *νῦν τὸν μέγαν βασιλέα φοβούμεθα ἡμεῖς* quae post Artaxerxis Ochi mortem (an. 340) scripta esse non potuerunt, cum iam Philippus belli Persis inferendi consilium agitare coepisset. Ista verba vero a seriore scriptore esse simulata ad priorem temporum statum revocandum, nemo prorsus sibi persuadebit, cum obiter tantum et in comparatione sint adhibita. In huiusmodi rebus enim per se quidem levioribus, tamen tempus scriptoris certissime cognoscitur propterea quod simulatio in rebus levissimis est difficillima. — Res macedonicae praeterea nusquam memorantur, etsi Philippus iam an.

360 Macedonum regnum sibi vindicaverat, cuius rei obscura saltem vestigia non desideraremus si totum opus post Platonis mortem (348) esset conscriptum.

Interna igitur operis nostri ratio iam satis probat, illud intra annos 356 — 348 esse conscriptum; externa argumenta quae idem probant, infra videbimus. Neque ullo modo huic rei repugnare potest, quod ultima dialogorum platonicorum tetralogia Politiam, Timaeum, Critiam et Hermocratem comprehendens ad finem nondum fuerat deducta. Praeterquam enim quod dubium plane sit, an ipsi Platoni consilium fuerit tetralogiae conscribendae, nonne hoc consilium vel deponere vel certe differre potuit? Nonne omnibus omni tempore scriptoribus opus quoddam inchoatum relinquere et ad aliud scribendum transire licuit? praesertim ubi externae causae et rationes consilium pro tempore differendum suasissent? Quaenam causae Platoni fuerint, nunc certe nemo affirmaverit; permultas tamen adesse potuisse quis neget? Unam certe prae caeteris probabilem mihi posuisse videor. Iam tunc temporis enim, ut semper fere, accidit ut homines divinum Platonis ingenium male intelligerent seu ignorantia et stultitia impediti seu invidia et aemulatione incitati. Prae caeteris tamen praecepta ista politica quae in Politia traduntur, multorum hominum trivialium, qui ad res publicas Athenis gerendas semper erant paratissimi, risum et reprehensionem movere potuerunt. Huiusmodi homines *) enim, quorum maximus semper numerus aderat, a vero philosophiae politicae studio adeo erant alieni ut corruptam et perversam Atheniensium democratiam magis etiam corrumpere et ad incitas redigere simulque idealis Platonicae civitatis imaginem ad vulgarem rei publicae modum redigere et revocare et utrumque ita confundere et permiscere solerent. Quamnam famam tales homines de Platonis aristocratia, de philosophis et foeminis magistratibus, de poetis e civitate eiiciendis, de uxorum et bonorum communione, de aliis pluribus quae dicunt Platonis paradoxis inter plebem Atheniensium excitasse putabimus? Quid quod recentiores etiam

---

*) cf. exemplum illud quod descripsit Xenophon in Socr. mem. III, 6.

Platonis lectores et interpretes, idealem harum rerum statum non respicientes, ipsum Platonem miserrimis criminationibus perstrinxisse videmus? Sed certum etiam huius rei exemplum habemus in Aristophanis ecclesiazusis, qui Praxagoram veste virili indutam fingit, Atheniensium plebi suadentem, ut foeminis rei publicae gerendae cura tradatur, ut bonorum communio fiat, ut uxores omnibus promiscue viris sui copiam faciant et plura huiusmodi novis legibus instituantur. Aristophanes ipse melius fortasse has res perspiciens, plebis animis certe in hac re indulsit. Sed nonne alios etiam eosque maxime iniquos harum rerum rumores in foro et theatro agitatos esse putabimus, post Politiam praesertim publici iuris factam? *) Tunc philosophus ne hi rumores iniqui et inepti latius vagarentur facillime permoveri potuit ut omisso pro tempore Critiae et Hermocratis perficiendi consilio ad Leges scribendas se accingeret, quibus perperam vulgo utriusque civitatis rationem permisceri doceret.

Siquidem igitur externae forte rationes Platonem ad Leges conscribendas permoverunt, inter primi ordinis dialogos hae referri non possunt. In his enim dialogis ideae illae philosophiae platonicae aeternae, nulla externa causa iubente, sunt expressae et traditae. In istis solis summa philosophiae platonicae, externis et fortuitis casibus non admixtis perspicitur. Leges vero sunt, ut ita dicam, opus extraordinarium, quibus conscribendis externa quaedam occasio fortasse fuit oblata, quae non per se solae ideas omnes politicas absolutas et perfectas tradunt, sed quae ad Politiae ideas sunt referendae iisque tanquam additamentum adiungendae, ita tamen ut non utriusque operis ratio perperam confundatur, sed ut doceatur, quomodo ideae quas Politia continet, reapse in vera civitate adhiberi hominumque usui aptari possint. Huiusmodi opera externa qua-

*) Aristophanis ecclesiazusas circa ol. 97. ante Politiam conscriptam prodiisse probabile quidem est, (vid. Palmerius ad eccles. v. 1018. ed. Küst. p. 215. Brunck Aristoph. tom. II. not. p. 14.) sed poeta huiusmodi paradoxa politica ex publicis Socraticorum et Academicorum disputationibus et doctrinis iam ante Politiam conscriptam percipere potuit.

dam occasione incitante, a Platone scribi potuisse, nemo facile neget, modo viderit, Platonem non tantum fuisse philosophum idealem, sed etiam hominem imo Atheniensem, omni vitae cursu multis modis edoctum et formatum, a temporis locique rationibus omnino pendentem. Sed praeclare iam hanc sententiam defendit Schleyermacher in praef. ad Plat. p. 38—39. Cf. *Götting. gel. Anz.* 1818. Nro. 196.

2.
DE OPERIS NOSTRI RATIONE, ARTE ET COMPOSITIONE.

Argumentum operis de Legibus excipit exterior eius forma et compositio, quae res maius etiam inquirendi studium et industriam requirit. In hac enim praeceptorum philosophicorum scriptione et traditione Plato unicum omnium temporum exemplum nobis adest, quod tantum abest ut alii philosophi imitari potuerint, ut ne satis perspexisse et intellexisse quidem interdum vel nostri temporis dialectici et interpretes videantur. Itaque prorsus incredibile videtur, seriorem quendam scriptorem simulato Platonis nomine Platonicum scribendi morem adeo imitari et exhibere potuisse, ut simulatio et *νόθεια* non statim appareret. Spurios certe qui circumferuntur dialogos a genuino Platonis more in hac re mirum quantum distare videmus.

Exterior dialogorum platonicorum forma et oratione et compositione conspicitur. Ipsa lingua imprimis quidem est respicienda ubi spurium quoddam opus arguitur; vix tamen magni momenti esse potest ad veram libri cuiusdam fidem et auctoritatem vindicandam*). Singula verba et dicendi formulae Platonis temporibus adeo fuerunt communia ut quidnam

---

*) vid. Schleyermacher praef. ad Platon. p. 36—7.

Platoni *soli* in talibus sit tribuendum vix unquam certius possit affirmari. Nobis certe sufficit, nihil in Legibus quod a Platonis loquendi usu abhorreat, hactenus esse inventum. Si quem forte tamen singula Platonicae dictionis exempla iuvant, is Boeckhii librum et Astii in Leges commentarium evolvat, in quibus usus loquendi accuratissime plerumque notatus permultis saepe exemplis ex Platonis dialogis allatis confirmatur. Quorum permulta hoc loco afferri et nova insuper addi possent, si magnum veritatis momentum inde penderet. Quod ad totius orationis et styli colorem et compositionem attinet, non possum quin Boeckhii verbis p. 72 utar: "modico, subtili, temperato, humili genere scriptum est; habet quidem succum aliquem, ut Cicero ait, neque tamen plurimum sanguinis, et integram valetudinem, nec tamen iuvenilem, sed eam qua senectus gaudeat vegeta. Orationis et sententiarum tenor summissior, etsi passim assurgit paululum, humi tamen serpit, quum in divina republica auctor sublimi feriat sidera vertice. Cur autem in Legibus iam non coelum tangat requiris? — Quid mirum, si graviore ut *senem* decet, stilo Leges suas exaraverit, veluti si quis aereis tabulis insculpat? Quid mirum si ea aetate artem philosophandi potius quam verborum elegantias consecutus sit?" Quid mirum praeterea, si ipsum argumentum, vero hominum et civitatum usui accommodatum orationem minus sublimem, concitatam, elatam quam pedestrem, solidam et vulgarem sibi deposceret. Nonne plura quae obscurius prolata et contorta videbantur, vel nunc facilius sunt expedita vel codicum opem et medelam adhuc exspectant?

Restat denique ut artem et compositionem totius dialogi examinemus, quae etsi longius subinde a Platonis more recedere videatur, ita tamen est comparata, ut causae etiam cur auctor recesserit, ex totius operis natura et indole inveniri possint. Dialogum Socraticum, qualem Plato sibi finxerit, talem etiam et dramatici quidem generis quod dicunt, in Legibus inveniri non est quod doceam. Habent platonica omnia externam quandam confusionis speciem, dialogi forma et ratione effectam, sub qua tamen, si accuratius inquiras, certus quidam dispositionis ordo semper latere solet. Disquisitio multis ex partibus deinceps incepta ad certum quendam et abso-

lutum finem saepe non perducitur, omnis colloquii cursus et progressus ab arbitrio et casu pendere videtur, licet consilium in eo dirigendo non desit. Quae omnia in Legibus quoque inveniuntur nisi quod confusionis species maior etiam quam alibi solet, nobis offerri videtur. Primum enim auctor exposuit, quorsum spectent leges (lib. I — III.), deinde illarum ferendarum rationem suadet (IV — V, 6. p. 734.), tunc novae urbis condendae formam et constitutionem explicat (V, 6 — VI fin.), quam denique educatio (lib. VII) excipit. Lib. VIII. praecepta praesertim continet ad disciplinam et securitatem publicam spectantia; lib. IX codex est criminalis; lib. X. Deos esse humanae sortis moderatores et dispensatores probat. Multa tamen in his libris (imprimis lib. IV et VIII.) iam occurrunt, suo loco huic argumento minus apta, leviter inter se connexa, fragmentorum instar apposita, quorum excusationi vix satis apte *τὸν τύχοντα λόγον* obtendit Clinias (Leg. IV, 12. p. 723.) cf. Ast. in comm. ad Leg. p. 390. Omnem vero dispositionis ordinem desidero in lib. XI et XII, in quibus multa ex prioribus libris passim repetuntur. Singula praeterea capita v. c. de rebus militaribus, de arte gymnastica et musica, de matrimonio, de iudiciis etc. per totum opus sunt dispersa. Ad quae omnia intelligenda et cum Platonis ingenio coniungenda duo reputasse sufficit. Primum enim singulae philosophiae disciplinae nunquam a Platone separatae et seiunctim pertractatae inveniuntur. Deinde opus nostrum est imperfectum et inchoatum ab auctore relictum. Etsi enim summam legum ferendarum inesse sit probabile (*σχεδὸν ἡ νομοθεσία τέλος ἂν ἡμῖν ἔχοι.* Leg. XII, 9. p. 960.), tamen desunt instituta omnia quae ad rem publicam perpetuo ita servandam auctor sibi proposuerat, quod satis docet finis lib. XII, ita ut epinomis etiam ad hunc finem complendum deinde sit addita. Mox externa quoque argumenta probabunt, Platonem a perficiendo hoc opere morte prohibitum esse. Nihil igitur nobis superest nisi congesta legum moles, cui secundae curae ab ipso auctore non contigerunt, nihil fortasse nisi primae argumenti circumscriptiones multis modis adhuc transponendae, corrigendae et in alium ordinem auctoris ingenio aptandae.

Platonis oratio est vel dialectica vel mythica. Ars dialectica, quae dividendo, resolvendo, coniungendo, disiungendo,

contradicendo, colligendo etc. in notionibus philosophicis constituendis, explicandis aut refellendis versatur, haec omnia disputandi et inquirendi artificia in opere de Legibus minus praeclara proposuit. Non certa hic invenitur dialecticae orationis consecutio, non nervosa illa probandi vis, non syllogismorum cuiusvis generis copia, non logica rerum circumscriptio, qua insignis est Plato in Theaeteto aliisque dialogis. Sed num ideo ab indole Platonica illud abhorrere putabimus, an potius ipsum argumentum ab oratione dialectica longius remotum esse censebimus? In legibus verae civitati ferendis nunquam ars dialectica insignis et praeclara deprehendi potest, quae scilicet huic consilio plane repugnaret. Homines enim non sophismatibus et dialecticis distinctionibus sed persuasione, et si opus est, iubendo ad leges servandas compelluntur. Ut singulis legibus haec *νουθέτησις* praemittitur, ita toti etiam de Legibus operi similem persuasionem auctor praemisit. cf. Leg. IV, 9. p. 718. Neque tamen in prioribus libb. III, in quibus fortitudo, temperantia, sapientia commendantur artem dialecticam desideramus. Imo permulta ubique adesse eiusdem vestigia levius paululum impressa, horum librorum lectio satis docere debet; sic v. c. inde ab initio inquiritur dialectice, num sola fortitudo bellica unicus totius legislationis finis esse possit. Quid quod ipse Clinias dialecticae orationis progressum interdum non assequitur? v. c. Leg. I, 13. p. 644 D. Multo minus etiam methodus dialectica desideratur per totam de Diis disquisitionem lib. X. institutam. Plura exspectari non possunt, cum ne symposium quidem quamvis ad medios eosque prae caeteris dialecticos Platonis dialogos pertineat, orationis dialecticae contineat vestigia, si Diotimae de amore expositionem exceperis? — Orationis mythicae pulchrum saltem adest exemplum in narratione de Saturni regno Leg. IV, 6. p. 713. — Sed legislatio quam dicunt positiva ab arte dialectica et mythica per se necessario longius est remota.

Ars mimica Platonis deinde ad dialecticam dialogorum formam mitigandam et suaviorem reddendam adhibita, in eo praesertim posita est ut personae verae e consuetudine istorum temporum desumtae inter se colloquantur, ita quidem ut singulus quisque suas ipsius sententias proferat, suo quo so-

lebat orationis colore usus, omnibus quos in vita habebat, agendi, dicendi et se gerendi modis et rationibus insignis, ita ut ipsum hominem ad minutissima usque depictum et exhibitum quasi in theatro agentem videas, Socrate insuper dialogum plerumque ducente et disserendi copiam praebente. Plato enim non tam stilo et calamo quam ore et voce inprimis doctrinam suam tradere, explicare et divulgare studuit (cf. Phaedr. p. 274. C.), ita quidem ut ipse cum auditoribus colloqueretur et dialogi cursu ita ferente ad novas ideas, ad nova philosophiae principia discipulos in academia perduceret. Quae docendi ratio in scriptis eodem modo remansit ideo scilicet calamo conceptis, ut et discipuli similia colloquia olim habita in memoriam sibi revocare et alii quoque illa percipere possent. Ars mimica propterea cum Platonis indole et ipsa idearum doctrina adeo coniuncta esse videtur, ut quod illa arte omnino sit destitutum, nullo modo Platonicum esse possit. cf. Schleyermacher in praef. ad Plat. pag. 40 — 41.

Neque in nostro de Legibus libro artem mimicam plane desideramus, etsi Astio pag. 389 ita visum sit. Nihil nisi hoc verum est, quaedam a vulgari Platonis more paululum recedere, in quibus tamen ipsius Platonis consilium potius quam Xenocratis cuiusdam rigorem facile cognoscas. In legibus verae civitati conscribendis quaenam alia exempla Plato sibi proponere potuisset quam Minois, Lycurgi et Solonis? Nonne optimum erat idque Platone dignissimum consilium, ex Cretensium, Lacedaemoniorum et Atheniensium legibus, quae solae inter Graecos erant celebratae, optimis quibusque desumtis, novas easque praestantiores conscribendi? Quod consilium cum solito dialogorum more persequi vellet, nihil aptius erat, quam Cretensis, Lacedaemonii et Atheniensis personas eligere, quae tanquam suarum civitatum vicarii et legati docta disputatione novum legum ferendarum opus conficerent. Vera autem virorum doctorum e Creta et Lacedaemone nomina non aderant. Quidnam igitur Platoni supererat praeter hoc ut ficta Lacedaemonii et Cretensis nomina adhiberet? Iam ne externa probabilitatis species neglecta esse videretur, verus Socrates cum personis fictis colloqui non potuit, sed eiusdem vices hospiti Atheniensi tradere per se necesse erat. Personis autem

fictis adhibitis quin maxima artis mimicae pars desit, fieri non potest. Ea tantum superest, quae in exhibendis istarum civitatum moribus, ritibus et externis usibus, dicendi et agendi rationibus versatur, ut certae civitatis cives esse appareant. Neque hanc mimicae artis partem in libro nostro neglectam esse videmus; imo quae ad designandum et describendum Cretae, Spartae et Athenarum civem pertinent, nunquam sunt praetermissa.

Hospes Atheniensis colloquio deducendo praeest, neque argumentis opus est, quibus illum semper in docendo et disserendo Atheniensis partes agere probetur. Quisnam sit ille hospes frustra quaesitum est. Socratem intellexit Aristot. pol. II, 4. p. 77., qui nunquam tamen in insula Creta adfuit, neque cur eius nomen dissimuletur intelligimus; cf. Boeckh p. 70. Alii ut Cic. de leg. I, 3. de Geer pag. 123. N. 4. ipsum Platonem intellexerunt, neque hic tamen tunc temporis in insula Creta versatus est. Imo neuter omnino est intelligendus; sed ut Cliniae et Megilli ita haec quoque ficta est persona, non ad certum quendam virum referenda, cui Plato ut alibi Socrati nunc suas ipsius sententias explicandas et edocendas *) dedit. Quam rem iam bene vidit Diogenes Laërtius: *εἰσι δ'οἱ ξένοι οὐχ' ὥς τινες ὑπέλαβον Πλάτων καὶ Παρμενίδης ἀλλὰ πλάσματα εἰσιν ἀνώνυμα* Diog. Laërt. III, 52., quam rem deinde repetiit Suidas in voc. *δόγματα*. Hoc loco enim si quo alio valet quod Schleyermacher l. l. pag. 29 monuit, Socratis auctoritatém in ultimis Platonis dialogis, post ipsius Socratis mortem longissime conscriptis paullatim evanescere. Hospes Atheniensis praeterea ut Clinias quoque et Megillus, senex exhibetur, v. c: *ταῖς ἡλικίαις πρέπον ἄν ἡμῶν εἴη τὸ διαναπαύεσθαι πυκνὰ ἐν σκιαραῖς.* Leg. I, 1. p. 625. B. *τηλικοῖσδε ἄνδρασι* I, 7. p. 634. C. *ἕνεκα γήρως ἀφείμεθ' ὑπὸ τοῦ νομοθέτου διαλεγόμενοι* I, 7. p. 635. A. *τὸ δὲ τῶν πρεσβυτέρων ἡμῶν — ἐπειδὴ τὸ παρ' ἡμῖν ἡμᾶς ἐλαφρὸν ἐκλείπει νῦν* II, 4. p. 657. D. III, 6. p. 685. A. *καθ' ἡλικίαν γὰρ ὀξὺ βλέπεις* IV, 7. p. 715. D. *ἂν γήρως ἐπικρατῶμεν* VI, 1. p. 752. A. *ἡ πρεσβυτῶν ἔμφρων παιδία* VI, 14. p. 769. A. Causa est in aprico; de rebus politicis enim

*) Ath. *ἀλλὰ χρὴ ποιεῖν οὕτως, ὑμᾶς τε ἐπὶ τὸ μαθεῖν καὶ ἐμὲ ἐπὶ τὸ δηλῶσαι πειρώμενον ἀμωσγέπως ξυντεῖναι τὸν λόγον.* Leg. I, 11. p. 641. E.

disputare et rem publicam constituere iuvenes non decet: *εἷς τῶν καλλίστων ἂν εἴη νόμων, μὴ ζητεῖν τῶν νέων μηδένα ἐᾷν ποῖα καλῶς αὐτῶν ἢ μὴ καλῶς ἔχει, μιᾷ δε φωνῇ καὶ ἐξ ἑνὸς στόματος πάντας ξυμφωνεῖν, ὡς πάντα καλῶς κεῖνται.* Leg. I. 7. p. 634. *νέος μὲν γὰρ ὢν πᾶς ἄνθρωπος τὰ τοιαῦτα ἀμβλύτατα αὐτὸς αὑτοῦ ὁρᾷ, γέρων δὲ ὀξύτατα.* Leg. IV, 7. p. 715. E. Simul tamen hac aetate hospiti tributa ipsa Platonis aetas quam tunc agebat, longissime provecta, notari quodammodo videtur. Eodem modo alia quaedam vestigia deprehenduntur levissima tamen, quae ad Platonis personam obscurius in hoc hospite expressam pertinere videntur, v. c. Leg. I, 10. p. 639. E. V, 9. p. 739. B. etc.

Clinias deinde et Megillus senes itidem exhibentur, iique litterarum cultu minus edocti, ab acumine philosophico et disputandi argutiis paululum alieni. Quae personae cum fictae sint, speciali agendi et dicendi more mimico insigniti esse non possunt; neque tamen ea desunt, quae ipsorum nationem indicant. Unde terrarum ipsi sint oriundi, primis iam Cliniae verbis docetur: *παρὰ μὲν ἡμῖν Ζεύς, παρὰ δὲ Λακεδαιμονίοις, ὅθεν ὅδ' ἐστιν* etc. Leg. I, 1. p. 624. Oratio incipit a rebus Cretensibus, de quibus Clinias solus, ut Cretensem decet, cum Atheniense colloquitur, Leg. I, 1. p. 624 — 3. p. 626. Hic enim est constans Platonis in dialogo usus ut is semper loquatur, ad quem res tractata prae caeteris pertinere videtur. Ita Clinias Atheniensi explicat Cretensium *ξυσσιτία, γυμνάσια* et *ὅπλων ἕξιν.* Leg. I, 2. p. 625. I, 5. p. 628. Praeterea inde ab Epimenidis temporibus amicitiam inter Cretenses et Athenienses intercedere affirmat, qua ipse quoque ductus Atheniensibus benevolus sit. Leg. I, 11. p. 642. Cretensium poetas, saltatores et cantores legibus politicis esse circumscriptos idem docet II, 5. p. 660. Cretenses et Lacedaemonios (*ὑμεῖς καὶ οἵδε*) nihil aliud canere nisi quod in choro didicerint, narrat Leg. II, 10. p. 666. cf. II, 13. p. 673. B. Epimenides ab ipso iterum celebratur III, 1. p. 677. Cretenses carminibus alienis parum uti fositetur III, 3. p. 680. Nec unquam Clinias tyrannidem vidit Leg. IV, 4. p. 711. etc. etc. *).

---

*) Exposui istas res propter miram Astii sententiam: "*nur Megillus wird als Spartaner charakterisirt und zwar auch bloſs äuſserlich*" — p. 389.

Megillus denique omnibus, quae Spartano tribui possunt, est notatus. Nihil fere loquitur nisi in rebus ad Spartam pertinentibus, dictio eius est concisa, abrupta, aspera ut Spartanum decet. Quod dicendi genus ironice a Platone notatur: *τὴν πόλιν ἅπαντες ἡμῶν Ἕλληνες ὑπολαμβάνουσιν ὡς φιλολόγος τέ ἐστι καὶ πολυλόγος, Λακεδαίμονα δὲ καὶ Κρήτην τὴν μὲν βραχυλόγον, τὴν δὲ πολύνοιαν μᾶλλον ἢ πολυλογίαν ἀσκοῦσαν.* Leg. I, 11. p. 641. Reliqua omnia Spartani civis indolem egregie referunt. Sic ille Spartanorum leges de voluptate defendit Leg. I, 9. p. 636 — 7; et virginum Lacedaemoniarum *ἄνεσις* ei obiicitur. Suum erga Athenienses amorem explicat Leg. I. 11. p. 642, quo loco laconismum non desideramus; vid. Boeckh p. 70. In historia Lacedaemoniorum recensenda Megillus non Clinias loquitur Leg. III, 5. p. 683 — 7. p. 687; cf. ipsum Astium in commentar. p. 158 not. 3. Megillo praesertim bella persica enarrantur III, 13. p. 696 — 15. p. 701. *πρὸς γὰρ σὲ τὰ ἐν τῷ τότε χρόνῳ γενόμενα κοινωνὸν δὴ τῶν πατρίων γεγονότα φύσει, δίκαιον λέγειν.* Leg. III, 15. p. 699. etc. etc.

Quatenus igitur personarum ratio permittit, artem mimicam adhibitam esse videmus, accuratior *ἠθοποιΐα* propter id ipsum quod fictae erant personae accedere non potuit. Cum autem personas fictas adhibere totius operis ratio posceret, nihil video, quod ullo modo a Platonis more et indole temere abhorreat.

Loci temporisque rationes in hoc dialogo explicare, a nostra re longius abesse videtur. Vide tamen Leg. I, 1. p. 625. Boeckh p. 71. Ast commentar. p. 157.

Introitus dialogorum quanta cura et industria a Platone semper elaboratus sit nemo nescit. In nostro dialogo, cum personae essent indefinitae eaeque perpaucae, haec cura minus insignis esse potuit. Probabile tamen est, Platonem in repititis huic libro curis adhibendis initium melius fuisse elaboraturum, sicut Politiae initium quoque ante ipsam mortem denuo elaborasse narratur. Vel sic tamen Platonis morem non plane desideramus; omne colloquium enim a fortuito quodam casu orditur et a

singulis rebus perscrutandis ad legum ferendarum finem paullatim non sine arte perducitur.

Ironiam Platonis in hoc opere minus esse insignem et praestantem, non est quod miremur. Non enim aderant inepta et ridicula philosophorum placita refellenda, non superbae sophistarum declamationes impugnandae, non res quae animum eiusque affectus movent referendae, sed senes quieti et tranquilli ab omni disputandi et pugnandi furore longe alieni, placida et benigna oratione, quae ad veram rem publicam constituendam optima sibi videntur proferunt. Omnino enim in dialogis politicis ad veram rempublicam emendandam compositis philosophum cautum quietum et benignum esse decet, ne disputandi, deridendi et vituperandi studio procacior hominum animos inique commoveat, neve partium et factionum studio abreptus ad vanas et iniquas declamationes delabatur! Quod quantopere auctor cavere voluerit, ex plurimis locis apparet, v. c. *δεῖ δ' οὐδὲν σκληρῶς ἡμᾶς αὐτοὺς διαμάχεσθαι τανῦν, ἀλλ' ἠρέμα ἀνερωτᾶν, ὡς μάλιστα περὶ ταῦτα ἡμῶν τὲ καὶ ἐκείνων σπουδαζόντων* Leg. I, 5. p. 629. *φράσω οὔτι μνησικακεῖν βουλόμενος ὑμῖν.* Leg. IV, 2. p. 706. *ἂν ἄρα τὶς ἡμῶν περὶ τοὺς ἐκ τῶν οἴκοι νόμους ψέξῃ τὶ... μὴ χαλεπῶς ἀλλὰ πρᾴως ἀποδεχόμεθα ἀλλήλων* ib. Ne de vino quidem aperte suas ipsius sententias probat Atheniensis, *ἐπεὶ καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν ὃ δωρεῖται λέγειν μὲν ὄκνος εἰς τοὺς πολλούς, διὰ τὸ κακῶς τοὺς ἀνθρώπους αὐτὸ ὑπολαβεῖν καὶ γνῶναι λεχθέν.* Leg. II, 13. p. 672. *λέγω εἰ μὲν βούλεσθε ὡς παίζων, εἰ δ' ὡς σπουδάζων — ὡς οὖσι φίλοις* Leg. III, 8. p. 688. Ipsi Clinias et Megillus Atheniensem iterum iterumque rogant ut quae ipsi forte in eorum rebus publicis minus probanda videantur, non omittat sed libere cum ipsis communicare velit; imo ut fiduciam dicendi ei faciant se rerum atticarum amantissimos esse confirmant, v. c. Megillus: *θαρσῶν δὴ ἐμοῦ γε ἕνεκα λέγοις ἂν τοσαῦτα ὁπόσα σοι φίλον.* Clinias: *θαρσῶν ὁπόσα βούλει λέγε* etc. Leg. I, 11. p. 642. Nihilominus suarum civitatum reprehensiones aegre ferre videntur v. c. Clinias: *οὐκ οἶδα ἡμῶν, ὦ ξένε ὅπῃ πάλιν αὖ τοὺς νομοθέτας φαυλίζεις* Leg. II, 10. p. 667. *οἷον μισῶν δοκεῖς ἡμῖν κολάζειν τὸ τοιοῦτον ἦθος μᾶλλον τοῦ δέοντος* Leg. VIII, 3. p. 832, Megillus: *πῶς δὴ μεμφόμενος λέγεις;* Leg. III, 6. p. 685. *τὶ δράσομεν ὦ Κλεινία, τὸν ξένον ἐάσομεν τὴν Σπάρτην οὕτω*

καταδραμεῖν; Leg. VII, 12. p. 806. Nonne igitur sine acriori animi impetu haec erant tractanda, nonne ironiae quoque arctiores limites erant ponendi? Omnino autem in his rebus diiudicandis tenenda est auctoris sententia *οὐ γὰρ εὐσχημοσύνης τε καὶ ἀσχημοσύνης ῥημάτων ἕνεκα τανῦν σκοπούμεθα πρὸς τὸν τῶν πολλῶν λόγον, ἀλλ' ὀρθότητός τε καὶ ἁμαρτίας πέρι νόμων, ἥτις ποτέ ἐστι φύσει.* Leg. I, 4. p. 627.

Denique Astius in opere nostro ingenii quandam severitatem et rigidiorem quam pro Platonis indole festivitatem, imo nimis circumscriptam ethicam, tristem et putidum fere animi sensum deprehendisse sibi visus est. Quae omnia tamen vel argumento tractato et quae inde pendet arte satis excusantur, vel falso et immerito operi imputantur. Severitas enim, imo rigidioris quaedam animi ratio senes decet in nova republica condenda versantes, dummodo Platonica illa urbanitas et modestia sit admixta, quam nusquam desideramus, et cuius singula exempla afferre infinitum est. Ethicam auctoris indolem nimis esse circumscriptam, nemo unquam sibi persuadebit, cum ex hoc Legum opere praesertim ethicae platonicae principia et ab aliis et ab ipso Tennemanno sint petita. Tristis quidam et turbidus animi sensus et affectus extrema Platonis aetate (omnibus fere omnium hominum exemplis semper confirmantibus) aptissime excusari posset; neque tamen talis indoles in ipso opere deprehenditur. Quin imo alacrem vitae vim et ardorem in Phaedone commendatam hoc loco etiam obviam ubivis habes; ne extremi quidem aetatis humanae fines a rebus humanis curandis, gerendis et ordinandis, a sancta virtutis idea in rebus publicis instituenda auctorem possunt prohibere. Tantum vero abest ut tristis, morosa et molesta sit eius opera, ut omnis de Legibus disquisitio nil nisi sapiens quoddam senum ludibrium (*πρεσβυτῶν ἔμφρων παιδιά.* Leg. IV, 14. p. 769.) esse videatur, in quo iuvenilem et fortem senis annis gravis animum recte mireris. Quem tandem non moveat sedula illa diligentia, qua in educatione et matrimonio instituendo auctor est conspicuus, sincerus ille hominum amor, qui ad posterorum quoque felicitatem adiuvandam discipulos et in legibus ferendis successores praeparare et erudire studet? Quis non miretur teneram pietatem ab invidia et tristitia longe remotam in sene

nostro, qui laeto et sincero animi sensu ductus puerorum et puellarum ludis, cantu, saltatione gaudet, illarum res musicas et gymnasticas dirigit, certaminum praemia artiumque regulas proponit? (cf. Leg. II, 4. p. 657 al.)

Ita denique nostrum de Legibus opus divino Platonis ingenio dignissimum minimeque ab illo abhorrens esse videmus. Consilium enim huius operis conscribendi splendidum est et sublime, legum ferendarum ratio naturae humanae aptissima et publica educatione freta, a iubendi arbitrio aliena, in persuasione plerumque posita. Res militares minime sunt neglectae. Omnia Politiae praeceptis optime conveniunt, et quae ab eiusdem paradoxis quae dicunt, discrepant, de industria verae civitati sunt aptata. Placita philosophica a Platone aliena nusquam inveniuntur. Ad Platonis vitam eiusque dialogorum seriem plura respicere videntur. Temporis vestigia satis certa idem egregie confirmant. Ipsa lingua et oratio nusquam seriora tempora innuit; ars mimica et dramatica quatenus licuit est adhibita. Quae in totius operis compositione forte desiderantur, eorum culpa extremae Platonis aetati quae secundas curas non admisit, recte tribuitur.

II.

Argumenta externa.

Interna operis nostri ratione et indole illustrata, hoc certum est, nihil inesse quod a Platonis ingenio, arte, dictione et vita plane abhorreat. Ad quam rem si constans totius antiquitatis testimonium accesserit, nulla prorsus *νοθείας* suspicio merito moveri poterit. In rebus historicis enim licet difficultates semper inveniri, scrupuli ubique excitari, imo vana quaedam probabilitatis species exhiberi possit, tamen temeraria haec dubitandi ratio, quae effrenata iam et regulis destituta quam late pateat, Harduini exemplum olim docuit, adeo a nobis

aliena esse debet, ut omnem antiquitatis auctoritatem in eiusmodi rebus historicis contemnere non nisi internis omnibus rationibus egregie suadentibus utique sit probandum.

Iam vero nostros de Legibus libros ipsum Platonem auctorem habuisse, communis et constans est totius antiquitatis fama, quae si falsa esset, mirabilius sane foret paradoxon historicum, nullo fere acumine exputandum, a mythica utpote, quae Homerum premit obscuritate longissime remotum. Fraudem enim consulto agitatam et admissam huic libro tot gloriae et splendoris laudibus insigni alienum nomen praetexisse, humanam omnem probabilitatem longe excedere videtur.

Sed error semel ortus in immensum saepe extenditur, et antiqua vina et vitia, ut cum Wolfio loquar, iuxta saepe aestimantur. Minus igitur totius antiquitatis fama nos movere debet, quam sola aequalium Platonis sententia. Inter quos prae caeteris omnibus et ingenio et operum adhuc servatorum gloria eminet Aristoteles, usu et consuetudine Platoni coniunctissimus, in cuius auctoritate fides librorum platonicorum posita sit, necesse est. Genuinos enim Platonis dialogos omnes fere ab illo memoratos et argumentum eorum passim enarratum invenimus. Vel Aristotelis igitur testimonium valere debet, vel de fide et auctoritate librorum platonicorum invenienda plane est desperandum. Spreto enim Aristotelis iudicio vix aliquid superest, unde quid Platonicum sit nec ne possit diiudicari. Sola enim indoles Platonica per se nihil probare potest, quae ipsa scilicet ex libris tantum externa auctoritate firmatis cognosci potest. Qui orbis inde existeret probandi, si librorum fidem a genuino Platonis more et colore, hunc iterum ex veris auctoris libris repetere et derivare vellemus. Nisi igitur Aristotelis in hac re iudicium probaveris, nullum unquam nostro ipsorum iudicio certum fundamentum subesse poterit.

Aristoteles per viginti annos Platoni audiendo operam dedit. *) Hoc ipso igitur tempore, quo Leges scriptas esse vidi-

---

*) Ammon vit. 4. Diog. Laert. I, 6. Dion. Hal. de vet. script. cens. 4.

mus, Platonis usu et consuetudine gavisus est; ut si spuriae illae fuissent, vitium nullo modo eum latere potuisset. Ita licet in antiquioribus scriptis recensendis Aristoteli minor fides haberi possit, tamen quae extrema vitae aetate Plato meditatus est, eum fugere non potuerunt; praesertim ubi certa temporis vestigia (ut in Legibus) accedunt, quae si Platonis vitae minus aptae fuissent, nemo facilius quam ipse Aristoteles vidisset. Sed quem in talibus rebus dubitandi arbitrio et alienis coniecturis indulgere iuvat, is omnia fere opera ex antiquitate servata pro spuriis et suppositis habere, et serioribus temporibus et auctoribus tribuere potest. Ita ne res nova et insolita videatur, rerum miracula et prodigia ponuntur, ita ne lapis offendat, Scylla petitur. Etiamsi idealem Platonis doctrinam Aristoteles male intellexerit, tamen harum Legum examen maiore intelligentia et peritia instituere potuit; hoc solo nomine recte culpandus est, quod acerbius et iniquius censuram suam agere solet *). Sed nonne haec ipsa acerbitas et criminandi libido plane inepta et ridicula foret, si falsis omnino et spuriis scriptis esset adhibita. Ne minima igitur fraudis suspicio Aristoteli eiusque aequalibus suboluisse potest; nec alibi vestigia rei tanquam obscurae et incertae inveniuntur. Aristotelem disquisitiones criticas de librorum platonicorum fide et auctoritate nusquam instituisse verum quidem est, sed hoc ipsum satis certum nobis testimonium esse potest, Aristotelem in his rebus adeo certum fuisse, ut nullis omnino rerum criticarum disquisitionibus indigeret; quod quidem veritatis genus certius semper est quam quod coniecturis criticis assequi licet. Haec igitur Aristotelis *ἀκρισία* tantum abest ut negligentiae vitio laboret ut pro certo eiusdem iudicio egregiam potius fidem spondeat. Ubi enim arte critica indigemus, res tractata iam caligine et obscuritate quadam suffusa sit, necesse est; res vero per se certissimas nemo argumentis criticis firmare laborat. Quis v. c. nostris temporibus Kantii librorum de ratione conscriptorum fidem et auctoritatem critico acumine probaverit?

---

*) Morgenstern p. 293.

Aristotelis opera praeterea valde esse interpolata, ut in singulis sententiis et citatis semper dubitari possit, an genuina haec sint auctoris verba et sententiae, verum quidem est, nec plura adhuc eiusmodi vitia in eius libris latere dubitatur. Sed quid hoc ad Leges nostras? Quae scilicet non obiter aut uno alterove loco laudantur, sed quae per totum fere politicorum opus accurate respiciuntur. Quid multa? Solum illud caput Arist. pol. II, 4. (seu II, 3 ed. Schn.) quod Legum Platonicarum recensionem continet, omnem rem conficit. Quamvis enim nec facilem illud interpretationem admittat nec singulae sententiae acumine et iudicio omnino probari possint, ab ipso tamen Aristotele scriptum fuisse certum est. Libri de Legibus enim accurate ibidem recensentur, et octo praesertim difficultates iis moventur; tantum vero abest ut omnis haec disputatio aliena manu inserta esse possit, ut ne in singulis quidem sententiis quod ab Aristotelis ingenio abhorreat, videas.

Similem operis de Legibus rationem ab Aristotele haberi singulis praeterea eiusdem locis probare licet. Sic lex illa (Leg. V, 13. p. 744 — 5) quae cavet ne quis civium ultra certae ex censu sortis quadruplum possideat, ab Aristotele laudatur (pol. II, 4. 2 ed. Schn.), qui tamen nescio quomodo quintuplicem partem falso substituit: cf. Ar. pol. II, 3. 8.; in qua re (licet Schneiderus in comment. non concedat) *ἁμάρτημα μνημονικόν* inesse videtur. Quod Plato Leg. I, 5. p. 630 in Lacedaemoniorum republica vituperat (saepe enim vituperat, quamvis modestia verborum obscurius eius mentem prodere soleat), omnia ad solum bellum parandum et ad fortitudinem exercendam pertinere, hoc idem ex Platone repetiit Aristot. pol. II, 6. 22. ed. Sch. — Idem in pol. II, 9. 8. plura Platonis ex Legibus placita enarrat, quae quomodo huic loco sint apta, Schneiderus se non videre professus est. Sed clarioribus legumlatoribus pertractatis, Aristoteles ad quaedam Platonis paradoxa redit, a caeteris prorsus aliena, quae *solius* Platonis esse memorat. Haec autem sunt praeter uxorum, liberorum et bonorum communionem, ex Politia petitam, *ὁ περὶ τὴν μέθην νόμος τὸ τοὺς νήφοντας συμποσιαρχεῖν*. Leg. II, 12. p. 671 D. et quod de utriusque manus usu et exercitatione suadetur Leg. VII, 4. p. 794 — 5. p 795. — Obiter addo Pseudo-Aristotelem de mundo

c. 7, ubi nobilissimum illud prooemium Leg. IV, 7. p. 715 — 16. laudatur. — Multa alia praeterea in Arist. politicis obvia, quae contra Leges platonicas de industria disputata esse videntur, hoc loco omitto, quoniam Aristoteles consueto suo in alienis sententiis recensendis more ipsum Platonis auctoris nomen disertis verbis non addidit. — Sed diligentius omnino Aristoteles Leges platonicas pertractasse videtur in opere *Τὰ ἐκ τῶν Νόμων Πλάτωνος* inscripto, quod Aristoteli tribuunt Diog. Laërt. V, 22. et auctor anonymus vitae Aristotelis apud Menag. ad Diog. Laërt. p. 201, ita tamen ut tribus alter, alter duobus libris compositum fuisse tradat.

Quae omnia ex Aristotele desumta, certum eius de Legibus Platonicis iudicium arguunt; neque intelligi potest quomodo vel ipse Aristoteles falsam de libri nostri auctore famam amplecti, vel spuria alius scriptoris sententia per omne politicorum opus inferri potuerit. Vanum praeterea et inane est argumentationis genus, quo quae sententiis praeiudicatis repugnare videntur, ea pro spuriis et subdititiis temere habentur. Aristotelis igitur de Legibus platonicis iudicium, quoad tempus etiam illarum rationi aptum (*νόμοι ὕστερον γραφέντες.* pol. II, 3, 1.), omnem qualis in rebus historicis requiri potest, veritatem prae se ferat necesse est, ut reliquis omnibus testibus facile carere possimus. Permulti scilicet scriptores post Aristotelem Leges nostras ut Platonicas laudarunt, quorum testimonia, etsi per se minorem fidem habeant, tamen cum ad rem iam satis probatam confirmandam accedant, non plane spernenda esse videntur.

Primus inter illos notandus est Philippus Opuntius, Socratis et Platonis disciplina imbutus, teste Diog. Laërt. III, 46, et matheseos studio praesertim deditus. Procl. in Euclid. II, p. 19. Boeckh p. 75. Suidas in voce *φιλόσοφος* *). Qui Philippus Platonis Leges e cereis transcriptas et in duodecim libros divisos publicasse dicitur, addita insuper **) epinomide. Quae

*) Cui voci praefigenda esse verba *φίλιππος 'Οπούντιος* iam sensit Fabricius, accuratius monuit Boeckh l. l.

**) *ἔνιοί τε φασὶν ὅτι Φίλιππος ὁ 'Οπούντιος τοὺς νόμους αὐτοῦ*

res omni fide digna esse videtur. Primum enim Diogenes et Suidas diversos in hac re auctores secuti (singula enim ipsorum verba et rei memoratae momenta sunt diversa) tamen plane consentiunt. Deinde hoc ipsum quod tradunt interna operis platonici ratione egregie confirmatur. Leges enim extrema Platonis aetate conscriptas nec prohibente auctoris morte ad finem perductas esse, iam vidimus. Aliena manu igitur sint transcriptae, in ordinem digestae atque publici iuris factae per se necesse est; epinomidem vero Philippo recte tribui demonstravit Boeckh p. 75.

Ita interna nostri operis ratio cum externis argumentis aptissime componitur, neque, dummodo certum veritatis sensum causis et argumentis utrimque ponderatis, sequaris, dubitandi arbitrio locus relinquitur. Philippum Opuntium praeterea ipsum Legum auctorem esse, ut Astius putavit, omnem probabilitatem longe superat. Ponamus enim ipsum Leges conscripsisse, ipse epinomidem adiecisse iam non potest, quoniam alienum hoc est additamentum alieno epinomidis nomine insignitum. Alius quisquam igitur et mortuo quidem iam Philippo epinomidem adiecerit necesse est. Ita fraus fraudem excipit, quae quomodo Platonici nominis fidem usurpaverit, vix perspicitur. — Alium denique Platonis asseclam Legum auctorem ponere, cum per se sit falsum, tum parum etiam probabile est. Nemo enim ex Platonis discipulis (si ipsum Aristotelem exceperis) in hoc scribendi et philosophandi genere insignem gloriam consecutus est, et si quis Legibus istis scribendis aptus fuisset, nescio an sui nominis gloriam aperte firmare quam spurias in Platonem laureas clanculum conferre maluerit. Operibus enim tanti voluminis tamque spectatis non facile alienum nomen praetexitur, et ipsi illi spurii qui circumferuntur Platonis dialogi longe minoris sunt et volumi-

---

(sc. *Πλάτωνος*) *μετέγραψεν ὄντας ἐν κηρῷ. τούτου δὲ καὶ τὴν ἐπινομίδα φασὶν εἶναι.* Diog. Laërt. III, 37.

Φιλόσοφος ὃς τοὺς τοῦ Πλάτωνος νόμους διεῖλεν εἰς βιβλία ιβ. Τὸ γὰρ ιγ. (i. e. epinomida) *αὐτὸς προσθεῖναι λέγεται.* Suid in voc. *φιλός.* Cui loco quam male emendando consuluerit Menag. ad Diog. L. p. 158, non est quod denuo demonstrem.

nis et momenti pretiique, ut alienam in iis fraudem facile cognoscas.

Theophrasti deinde memoratur a Fabricio*) epitome Legum lib. I.; sed a Platonicis Legibus, quo Fabricius retulisse videtur, plane est aliena. Plura enim de legislatione opera Theophrastus conscripsit: *νόμων κατὰ στοιχεῖον* lib. XXIV, *νομοθέτων* III, *περὶ νόμων* I, *περὶ παρανόμων* I, Diog. Laërt. V, 44. 47; itaque epitome ista non Platonicarum sed aliarum quarumvis legum fuisse videtur; vid. Menag. ad Diog. Laërt. V, 44.

Perseus Stoicus mox *πρὸς τοὺς Πλάτωνος νόμους* lib. VII conscripsisse narratur apud Fabricium l. l. et Boeckh p. 80. Non tamen est *Πέρσευς* sed *Περσαῖος Δημητρίου Κιττιεύς*, Zenonis assecla, Antigoni regis tempore; vid. Diog. Laërt. VII, 36. cf. Gell. II, 18. Athen. IV, 17. Aelian var. hist. III, 17 etc. Sed ne fragmentum quidem huius libri aetatem tulit, nec ab aliis scriptoribus eum laudatum invenimus.

Grammatici Alexandrini inque iis Aristophanes opus nostrum platonicum esse iudicarunt. Diog. Laërt. III, 62. Sed ignotum plane est, quibus causis et argumentis ducti in scriptis Platonicis vel reiiciendis vel probandis versati sint, ut recte fidem iis denegaverit Schleiermacher in praef. ad Plat. p. 32.

Aevo Alexandrino fortasse debemus Schol. ad Aristoph. vesp. 729, in quo verbum *ἀτεράμων* ex Plat. Leg. IX, 1. p. 853 lautatur; et lex. msc. in Bast. nott. ad Gregor. Corinth. p. 512 ed. Schaeffer, in quo *περίβολοι αἱμασιώδεις* ex Plat. Leg. III, 3. p. 681. laudantur.

Sequitur Cicero qui Leges ab ipso Platone conscriptas tradidit, v. c. de Leg. I, 5. II, 6. 27. de nat. Deor. I, 12 etc. etc. Sed quo longius a Platonis aetate testes recedunt, eo minor in hac re est auctoritas, ut horum temporum testimoniis iam nihil plane possit confici. Neque res probata huiusmodi testimoniis indiget. Omitto igitur permulta seriorum scriptorum

*) vid. Plato ed. Bip. vol. 8. in.

loca in hunc finem olim enotata. Certatim enim Platonis Leges vindicarunt: Dionysius Halicarnassensis, Strabo, Seneca, Plutarchus, Gellius, Aristides, Apuleius, Galenus, Diogenes Laërtius, Athenaeus, Longinus, Iulianus, Stobaeus, Macrobius, Hierocles, Moeris, Pollux, Suidas, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Cyrillus, Theodoretus, alii.
